


CHAMPIER
COMMENT
ARI.L ETC
1532







CLAVDII GALENI

PERGAMENI HISTORIALES CAMPI, PER D. SYMPHORIANVM CAMPEGIVM, Equitem auratum, illustrissimi Lotharingiæ Ducis archiatrum, in quatuor libros congesti, & commentarijs non pœnitendis illustrati.

D. SYMPHORIANI CAMPEGII, EQVITIS AVRATI, CLYSTERIORVM CAMPORVM

secundũ Galeni mentem libellus utilis & necessarius.


Eiusdem de phlebotomia libri duo.



Cum gratia & priuilegio Cæsareo ad sexennium.

BASILEAE

M. D. XXXII



IN GALENI HISTORIALES CAMPOS INDEX.

B

C

Galeni

O

P

Q

R

S

INDICIS FINIS.

DOMINI SYMPHORIANI CAMPEGII, EQVITIS AVRATI, ET CLARISSIMI LOtharingiæ Ducis Antonij primarij medici, in historias ex omnibus Galeni libris à se recenter excerptas, ad præclarissimũ uirum dominũ THOMAM CAMPEGIVM Bononiensem, Apostolicæ sedis Protonotarium dignissimum, Præfatio.



PLERISQVE sæpe rogatus sum, ut Galeni historiales campos, quos sanè multos hactenus sparsim scripsi, in unũ colligerem, & officiosa impressorũ manu atq; industria ea omnia antè recognita, accurateq; digesta, cõmunia pluribus redderẽ. Negociũ meũ aliquando cogitans hæsi, distuli, torsiq; me etiam: ea enim erant partim ita dispersa, ut receptui classico nullo quidẽ signo ad uexilla reuocari amplius facile possent. Partim etiã in discipulorum manibus habebantur per Galliæ totius diuersa gymnasia, partim cæcis nostræ bibliothecæ angulis, situ ac puluere penè tabescentia diu iacuerant, procul à mente, omniq; memoria: ut difficilimũ sanè mihi uideretur, in corpus aliquod unum tot membra disiecta componere. Meas cogitationes quoq;, non magno studio lucubratas, satis placere posse diffidebam, ijs præsertim, qui stricta libella omnia appendunt, & corrugata fronte ac rhinoceroteo naso aliena tanquã odorant. Atque ideo interim cœpi in lucem emittere De claris medicis librum, prætentaturum iter, qui impressoria arte diffusus in plurimos, à multis probatus, atque ut ipse uidi digne habitus est: cui clarum præter cæteros testimonium dedit ALEXANDER BENEDICTVS ille noster: ille inquam, qui singulari doctrina, & accurata de re quaq; ratione, græcarum præterea literarũ eruditione, ætatis & seculi nostri nemini cedit: ea una epistola ad nos in Galliam, quæ ad philosophiæ Platonicæ caput apposita, ueluti serenissima gemma fulget & emicat. Hinc incensa mihi fiducia, ut cætera ista quæ diximus ita sparsa quoquouersum ac disseminata, in unũ cogeremus. Quod cum fecerimus, quæ ex multis deperditis inuenta receptaq; sunt (quæ sanè Galeni historiales, à Campegiorum cognomine Campos appellandas duximus) tuo amplissimo nomini meritò dedicanda putauimus. Fruere igitur, & me uicissim ama.

Alexander Benedictus (margin)

IN CLAUDII GALE
NI PERGAMENI HISTORIALES CAMPOS, D. SYMPHORIANI CAMPEGII, EQUITIS AURATI ET MEDICI CLARISSIMI, COMMENTARIORUM LIBER PRIMUS.

De his quibus aliquæ corporis partes ad magnitudinem præter naturam attolluntur. HISTORIA PRIMA.



E IMITARI uideamur illam quam præcipue damnamus garrulitatē, friuolis om̄ino ambagibus omissis, eam cōfestim quam Galenus primo De differentijs morborum uolumine inseruit, aggrediamur historiā. Nicomachi uero, inquiens, Smyrnæi corpus adeò immodice au ctum est, ut ne mouere quidē seipsum posset, atq; hunc sanitati restituit Asclepiades. Vidimus etiam linguā cuiusdam mirum in modū auctam, idq; citra omnem sensum doloris, ut neq; œdema, neque scirrhus, neq; phlegmone uideri posset. Nam neq; excauata est sub premente digito, neq; sensum amisit, neq; dolebat. Sed hic affectus incrementū quoddam erat partium, ita tamen, ut ipsa partis essentia ab omni noxa uideretur immunis. Sic testiculos quoq; & mammas, alijs utrosq;, alijs alterum duntaxat, immodice
B increuisse compertum habemus. Ad hoc genus pertinet & struma, ut uocāt: quippe quæ immoderatius aucta, nō parum functioni incommodat. Similiter oculorū quoq; anguli ubi à iusto modo recesserint, siue immodice fuerint aucti, siue diminuti, Græci alterum encanthida, alterum rhœada appellant. Atq; huiusmodi sunt in hoc genere morborum differentiæ.

CAMPEGII ENARRATIO.

Capitis magnitudo ac figura, simul cum cerebro, atq; magnitudo thoracis, similitudo scapulæ, humeri, brachia, cubitus, manus, coxæ, femora, tibiæ, pedes, utrum sint formatione impedita, nequaquam difficile est cognitu. Vox præterea uocaliū instrumentorum munus est. Loquela uero, eorum quę sermoni destinata sunt. Inter quæ lingua principatū obtinet: cui non parum conferunt nates, & labra & dentes. Et dicitur lingua, ut Varroni placet, quod cibum liget. Hæc enim cibos ui sua conglobat, & deprimit, ac transmittit in uentrē: Vel quod ipsa dentium septis quasi muro circumuallata, atq; ligata sit. In hac uirtus sermonis est, hac sapores sentiuntur. Homini sæpe ita constricta uenis, ut intercidi eas necesse sit. Lingua, ut diuus Iacobus scribit, modicū quidem membrū est, & magna iactat. Naues enim, inquit, cū tantæ sint & à uentis ualidis agātur, circūaguntur à minimo gubernaculo quocunq; impetus dirigētis uoluerit. Ita & lingua pusillū quidē membrū est, & magna iactat. Ecce quantulus ignis q̄magnam syluam incendit. Et lingua ignis est, mundus iniquitatis: sic lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus, & inflammat rotā natiuitatis, & inflammatur à gehenna. Omnis enim, infit, natura bestiarum & uolucrum, serpentiumq; & marinorum domatur & domita est à natura humana: Linguam autem nullus hominum domare potest, incoërcibile malū, plena ueneno mortifero. Per ipsam benedicimus deo & patri, & cum ipsa maledicimus hominibus, qui ad imaginē & similitudinem dei facti sunt. Ex eodem ore procedit benedictio & maledictio. Hæc ille. Et ideo bilinguis serpens habet at-

Linguæ etymologia.

Cap.3

C que letalis, eo quod diaboli minister aliud lingua loquatur, aliud corde meditetur. Sunt præterea alij quoque ministri, qui & cordis & uocis sui infectas ueneno, ueluti uerborum suorũ, iactant sagittas, quibus dominus ait: Generatio uiperarum quomodo potestis bona loqui cum sitis mali? Hæ sunt nostræ Syrtes, hæc Scylla, hæc Charybdis, hę Symplegades, quarũ cõcursibus deprehensæ animæ cœlestis patriæ cursum amittunt. Hæc torpedo, quæ mentibus nostris torporem ac stuporem immittit, & ad bonum opus reddit immobiles. Linguæ figura, retro spissa esse, & tenuitatem in anteriore parte prætendere debet. Proinde quæ antè densatur, sermones non bene format, quia non est bene soluta: neq; erga dentes, neq; ad palatum, ad quorum tactus formari uoces dicuntur, satis plicabilis est. Lingua anterius lata, literam S, male & inscite explicat: talesq; blesi esse dicũtur. Posterius uero implicita, literam R, non recte pronunciat. Quando ergo commensuratæ cum longitudinis, tum latitudinis est, & in anteriori extremitate subtilis, loquendi gratiam habet. Magna & lata aut curta nimis, nõ expedit facundię. Et quoniam lingua ad multos usus inseruit, plures neruos motiuos, sensitiuos, plures uenas atq; arterias, q̃ aliud membrũ in toto corpore, habet. Est autem hastaialga de genere psittaci, latam, tenuem, & instar hominis linguã flexibilem habens, qui doctius quàm reliquæ aues, quamuis irrationalis sit, humanas uoces exprimit. Quicunq; alites de psittacorum genere latas linguas habent, idem efficiunt. Picus quoq; extra rostrum multum appetens, linguam longissimam extendit. Tali ope cauans arbores, de profunditate lignorum uermes educit. Lingua illius est quasi cornea, acuta, quam corporibus uermium, ut illos extrahat, infigit. Picus iste linguosus, minime loquax: raro nisi in antiquis & arduis nemoribus, ubi rara sit hominum frequentia, inuenitur. Mortales ergo circumspecti, an ad loquendum de sanctis, an ad bibendum, uel fodiendum sua lingua præstet, aduertant. Picus se ad loquendum sciens ignauũ, neminem sua garrulitate offendit: imò in syluis se abdens homines abhorret. Lingua rara & spongiosa per uini humiditatem in augmentũ extenditur: idcirco ob crassitudinem, tumorem ue acquisitum, difficulter ad articulati sermonis prolationem mouetur. Hac ratione rigentium ac cõgelatorum hominum lingua balbutiens errat. Ipsa rigore immobilis induratur, cum frigidi sit mortificare. Est ipsa sanè sub cerebro humiditatũ fonte, quod membrum rarissimum humorem recipere est dispositum.

Forma linguæ. — *Blesi qui* — *Hastaialga.* — *Picus.* — D

De partium corporis, uerbi causa linguæ, labiorum, aurium, ac nariũ detruncatione. HISTORIA SECVNDA.

Galen. de differentijs morborum lib. 1.



SIC correptus quidã non ita pridem uehementi uniuersi corporis cõuulsione, linguæ anteriorẽ partem mordicus amputauit, atq; hic reualuit quidem à conuulsione, sed loqui ut antea haudquaquã potuit. Sub hoc genere continentur, labiorum, aurium, narium (ut uocant) detruncationes. Sic partes quædam corpulentæ, aut uiolenter auulsæ, aut putrefactæ, funditus exectæ sunt. Atque per huiusmodi miserias, siue una pars, siue duæ, siue plures desint, quæ uel omnino perierint, uel partim fuerint exemptæ, naturalis partiũ numerus erit imperfectus.

CAMPEGIVS.

Causę partium officialium sanè partim impedimentorũ figmenti, partim magnitudinis aut numeri existunt. In figmento igitur secundum Galenum multa impedimenta habentur. Nam figura partis, & sicubi in ea cauum est per naturã, aut hostiolum, aut meatus, aut asperitas quædam, aut lenitas, quoties excesserint propria mediocritate. Parum quidem affecta, sana corpora nominãtur. Multum uero perpessa, ægrotabilia dicũtur. Quoties autem tantum affecta sint ut offendant operationem,

A tionem, iam ægrota uocantur. In quantitate ergo excessus ac defectus ad eas ipsas deducũt differentias. In numero uero excedens aut deficiens similarium partium, aut plures hoc genere continentur. Item quæcunq; substantiæ in nobis præter naturam consistunt.

De Tertiana non exquisita. HISTORIA TERTIA.


GALENUS lib. primo De arte curatiua inquit: Erat tempus anni mediũ inter occasum Pleiadũ, & antecedens æquinoctiũ: inceperat autem febris cum horrore adolescenti circa auroram fere, quæ neque in caliditate similis tertianæ uidebatur, neq; in pulsibus: sed neque uomitus bilis subsecutus est, neque sudor sufficiens: præterquam quod in die secundo tantummodo circa horam tertiam, quidam pauci humidi uapores exierunt, ex quibus febris quidem transpirabat: at ita pedetentim, ut uix circa noctem expers febris uideretur: Nam febris signum satis manifestũ in pulsibus manserat: in reliquis uero circa uesperas satis bene se habebat, & per totam pariter noctem. Rursus uero circa tertiæ diei auroram secunda accessio facta est, omnino præterquam in tempore similis. Nam nocte superueniente, paulul um ante diem uapores exhalarunt, ac circa quartæ diei auroram febris cessauit, ac reliquo deinceps autumni tempore, atq; hyemis quo ægrotauit, alia omnino & hora accessionis & solutionis febris eundem modum seruauerunt. Agebat autem adolescens circiter decimumoctauum ætatis annũ, albus aspectu & pinguis, qui sæpius antea in ocio degerat, & crapulis balneisq; plurimis & repletionibus usus erat: Quare neq; bene cibos cõcoquebat. Simul autem ei aduenit durities in pulsu. In prima autem die atque secunda, mediocriter: In tertia autem & quarta atq; sequentibus usq; ad septimam, ad tantam peruenit duritiem, ut quispiam qui soli crederet pulsui, multorum fore mensium ægritudinem iudicaret. Talis autem perdurauit usq; ad uernum æquinoctium, in quo cœpit mollescere. Et rursus postea quadragesimo die omnino æger à tertiana est liberatus, tendente paulatim ad mollitiem pulsu, ac minore quotidie fiente accessione, urinisq; meliorem habentibus subsidentiam. Et hæ quoque in priore tempore erant admodũ crudæ. Talis quidem est tertiana quæ alteri exquisitę maxime cõtraria existit. Reliquas uero intermedias haud numero paucas, ex extremis quę determinata sunt, non difficulter inuenies.

B

CAMPEGIUS.

Hæc tertiana, quam neoterici notham appellant, nihil simile habet cum exquisita. Quantum enim natura differunt syncera & notha, tantum rationabile est rationem uictus permutare. Ut igitur eas optime sciamus distinguere, quæ adolescenti acciderint, sat fuit Galeno posuisse, quæ ueluti quædam exempla ac monumenta tibi futura sunt, earum quæ non exquisitæ tertianæ.

De Balneis. HISTORIA QUARTA.


APUD Galenum libro eodem De arte curatiua, sic scriptũ uulgò legitur: Equidem noui quendam corrupto iudicio hisce balneis, marinæ aquæ & salsæ, nitrosæ atque sulphureæ uti persuasum: deinde extenuato corporis habitu, ad tantam uenisse perniciem, ut tabe cõsumptus interiret. Lib. I. ad Glauconem.

CAMPEGIUS.

Lauacrorum quædam suam obtinent qualitatem, quædam qualitatis sunt expertia, quædam dulcia: eorumq; alteram quandam alia habent qualitatem, quædã institutione nostra uim habent, quædã sua potestate uim possident. Omnifariã igi-

C tur temperata humectant, ac per sese calefaciunt. Conferunt autem huiusmodi lauacra, dulcia inquam, & temperata febribus aridis, præsertim immoderate sitientibus, sub Sole mora plurima, ac scabiosis exanthematis. Dulcia igiť tum quia aliqđ bilis educunt, tum etiam quia sua qualitate plurimum iuuant: humectant enim ac potentia refrigerant. Marinæ autem aquæ, ut Galeno placet, & salsæ, nitrosæ atq; sulphureæ, plus quidē bilis educūt: sed multo minus quàm potabiles prosunt. Præstat uero neq; ipsas utiles dicere: quandoquidem plus qualitate nocent, quàm euacuationibus iuuent.

De Scirrho & Erysipelate. HISTORIA QVINTA.

SECVNDO De arte curatiua ad Glauconem apud Galenum sic scriptum est: In memoriam tibi reuocanda sunt, quæ inuicem commentabamur, quādo Cercilij puerulum curabam, cui ex erysipelate nimis infrigidato atq; astricto, tumor durus in toto femore relinquebatur. Existimauimus enim medicamēta quæ ipsum curare deberēt, tenuia esse oportere: quare femur oleo perfundebam, in profundam peluim posito puero, quæ multum Sabini olei continebat, eo quod omnium tenuissimū ipsum esse sciebam. A balneo uero abstinebam, eo quod nō ita pridē propter totius corporis curam eo fuerat usus. Postquā uero partem fouimus, medicamenta ex medullis animalium ut cerui, leonis & similiū: & adipibus, ut anseris, cōfecta adhibuimus, miscendo nonnunquam bdellium Scythicum, masticem Aegyptiam, atque ammoniacum thymiama uocatum, quod pingue & nō uetustum esset, similiter & galbane. Et postquam per hæc præparatum fuerat, soluens ammoniacū pinguissimum in acerrimo aceto, circumli-
D niui totum femur. Deinde per aliquot dies rursus opopanacum cum multæ pinguedinis miscui aceto acerrimo, exoluens id quod recens erat: alioquin pingue non permaneret, quemadmodum nec bdellium, nec ammoniacum, neq; etiam galbane. Iussiq; puerum in altero crure stare, ut plus cibi ad illud ferretur. Postea ubi repulsus erat iam durus tumor, timens ne eius residuum maneret, omnia econtrario facere aggressus sum, femur ex aliquo medicamento eorum quæ pice cōstant perungens. Manifestò itaq; clarebat, quod ex aceto linimenta egregie tumorem comminuerant, laxatiua autem molliorem reddiderant, minorem autem nequaquam: uicissim tamen eis utendo, adhibito cōuenienti moderamine, puerulum curaui, sic ut si altero duntaxat medicamentorum genere quis curam attentasset, nihil ad scirrhi solutionem proficiebat.

CAMPEGIVS.

Scirrhus exquisitus est tumor prẹter naturam, sensu priuatus durusq;. Non exquisitus uero, non omnino insensibilis est, difficulter tamen omnino sentitur. Scirrhus igitur insensibilis, ut Galeno placet, curam nō recipit. Qui uero difficulter sentitur, nec incurabilis est, nec facilem curationem admittit. Fit autem ex humore lento & crasso, insolubiliter induratis partibus infixo. Interdum itaque statim à principio cōgregatur paulatim & augetur: crebrius uero medicorum imperitia paratur, cum uehementer erysipelata & inflammationes astringunt & infrigidant. Si quis igitur medicamenta uehementer dissolutiua induratis corporibus adhibuerit, quæ manifestam faciant scirrhi diminutionem, breui tempore non sperauerit perfectam curationem.

Ex monumentis Hippocratis deprompta super pestilenti constitutione. HISTORIA VI

In librorū

A IN librorum uolumine qui de Crisibus inscribuntur, quibus membratim medicinam percurrit, primo, ubi cœpit de morbis populatim uagātibus loqui, Galenus infit: Mihi quidem habere hęc omnia, quę diximus, ille uidetur, de quo scribit Hippocrates in tertio Epidemiarū: Ille inquam ęgrotus à pestilenti constitutione, ordine octauus. Ita autē omnis sermo se habet: In Abderis erat Anaxion, qui habitabat circa portas Thracias; febris acuta inuasit hominem, lateris dolor cōtinuus aderat, tussis sicca, neq; expuebat primis diebus, sitibundus erat, & peruigil, urinæ bene coloratæ, tenues & multæ. Sexto die delirauit, at concalefactionis nulla fiebat remissio. Septimo die grauius se habuit: nam & febris intendebatur, neq; dolores minuebantur, & tusses infestabant, difficilemq; habebat anhelitum. Octauo die uenam in cubito secui: sanguis multus effluxit qualem oportuit, dolores remissi sunt, tusses autem siccæ insequebātur. Vndecimo die, febres minores factæ sunt, paruus sudor circa caput exijt, tussesq; à pulmone humidiores. Decimoseptimo, cœpit quædam pauca concocta expuere. Vigesimo, febre liberatus est, post crisim leuatus est, siticulosus uero erat, neque à pulmone optimæ erant expurgationes. Septimo & uigesimo febris redijt, & tussis eduxit plurima & cocta: urinarum subsidentia multa & alba, sine siti, & bene spirans factus est. Quarto & trigesimo die sudauit per totum corpus: per crisim febris soluta est. *Eandem historiā ponit Gal. primo Aphor. aphor. 12.*

CAMPEGIVS.

Oportet igitur procedente quidem morbo, sed præcipue quando admodū crudus extiterit, magnam fieri transmutationem, ut secura crisis speretur. Magna autem, infit Galenus, est permutatio, cum perfecte cocta minguntur & expuuntur. B Talia uero non supponebantur in die decimoseptimo affuisse, quare nec fieri poterat, ut hic ægrotus in die uigesimo liberaretur omnino, aut perfectam crisim haberet: quapropter septimo & uigesimo febris redijt.

Quomodo febris quartana ex solo arteriarum percussu deprehendatur. HISTORIA SEPTIMA.

LIBRO secundo de Crisibus, capite quarto, inquit Galenus: Ego quidem nonnullos meos familiares, quorum pulsus exquisite cognoueram, iam ingruente accessione cōtemplatus, quod tale principium nullius alterius quàm quartanæ febris fore contingeret, demonstraui, atq; ita euenit.

CAMPEGIVS.

Non mireris lector amantissime, si Galenus per solum pulsum quartanā cognouerit. Nam sicut Hispani natura iactabundi sunt, ita & Asiani & Græci in historijs nonnunquam mendaces prædicantur, & Hispanis similes perhibentur. Quapropter & ipse Galenus De locis affectis libro tertio, capite terrio, de seipso ita scripsit: Ego uero reipsa, & publice & priuatim, apud eos uidelicet qui sectam quamlibet à me discere cupiebant, ostendi, in omnium sectarum scientia (ne maius quicquam dixero) me esse posthabendū nemini. Quod si uni sectarum patrocinium ferre uel breuibus quibusdam rationibus aggrederer, nemo tam facile me deprehenderet. Non enim ut nōnulli faciunt, ex libris eas didici. Hactenus ille. Sed dic quæso Galene, quid habes quod nō ab exteris acceperis? Si autē accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? deus enim lux est ipse solus, & in eo solo tenebræ & ignorantia non sunt ullæ. Si dixerimus, inquit ille Ioānes qui supra pectus domini recubuit, Quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & ueritas in nobis non est. Si dixerimus, quoniam non peccauimus, mendacem facimus eum, & uerbum eius nō *1. Ioan. 1*

C est in nobis, omnis enim homo mendax. Quare dicebat Doctor gentiũ Corinthijs: 2. Corinth. 12 Parco autem uobis ne quis de me cogitet, supra id quod uidet esse me, aut quod audit ex me. Et ne excellentia reuelationum supra modum efferrer, datus est mihi stimulus carnis meæ, nuncians satanæ ut me colaphis cæderet. Super hoc ter dominũ rogaui ut discederet à me: & dixit mihi, Sufficit tibi gratia mea: Nam uirtus mea per infirmitatẽ perficitur. Quapropter dicebat Asclepius Mercurij Trismegisti discipulus ad Ammonem regem scribens: Quantũ possibile est, ô rex, ut potes sermonem serua inconuersum, ne ad Græcos perueniant talia mysteria, néue Græcorum superba locutio atq; dissoluta ac ueluti calamistrata, debilem faciat ualetudinem, atq; actiuam nominum locutionem. Gerci enim, ô rex, uerba habent tantum noua, demonstrationum actiua. Et hæc est Græcorum philosophia, uerborum sonus. Hæc Asclepius. Cũ igitur plurima & fermè omnia quæ in medica arte à Galeno scripta sunt, erudite dicta sint, restant quædã parũ curiose pensiculata, quæ de seipso iactabundè profert, quę eruditorũ aures ferre nõ possent, nec debeant: Etsi in medicinis semper laudauerim, ut iactabundum tamen nõ laudo. Galenũ Pergamenũ florentissimi styli nitidissimiq; fuisse, si Gregorio Nisseno credimus, atq; Fulmineo, quem Platonicorum eruditissimũ Auicenna iudicat, cuius se dicit interpretem. Sed omissa aliena insectatione, institutum propositum candido stylo exequamur. Si securius uelis discernere, præcepta Hippocratis hoc in loco ad memoriam reuoca, qui tempore æstiuo tertianam, autumnali uero quartanam abunde asseuerat. Primum uero hoc ipsum considera, nunquid autumnus frigidam & siccam & inæqualem habuerit temperaturam, & tunc magis sperabis quaternos circuitus in ipso fore frequentiores. Post hæc si regio ipsa talium febrium sit generatrix, & si ægrotantis na-
D tura atræ bili obnoxia sit, talisq; ratio uictus antecesserit, quæ huiusmodi humorem aggregauerit, & si eo tempore quartanæ febres populariter fiant. Hæc autem cum illis quæ deinceps dicentur obsignabis: Si homo lienosus fuerit, uel febres erraticas passus fuerit: Si augmentum & status plurimum contrarij fuerint, & secũdum caloris motum, & pulsuum. & præter hæc omnia, si tenues albæ & aquosæ urinæ fuerint. Hæ omnino tertianarum urinis dissimiles sunt. Quapropter iactabunde Galenus infit: Tertianã quidem à quartana qui primo statim die nescit distinguere, neq; omnino Medici meretur nomen. quod arroganter nimis dictũ esse putamus: quoniam ut inquit poëta: Non omnia possumus omnes. Et Horatio teste:

Non omnia possumus omnes

Quandoq; bonus dormitat Homerus.

Exemplum mulierculæ semitertiana exquisita laborantis, & de eadem febre pleraq;. HISTORIA VIII



LIBRO eodem, capite nono de Crisibus, apud Galenũ sic scriptum est: Nuper quędam muliercula imparibus diebus horridam habebat accessionem, semitertianæ exquisitæ propriam. In paribus uero, manè alterã quandam ea quæ pręcesserat longe minorem, ut altera die semitertianę febris accessio, supra accessionem aduenire uideretur, quod in tali febre fieri cõsueuit. Circa octauam uero horam diei, altera inuadebat accessio cum rigore uehementi, omnia exquisitæ tertianæ febris indicia afferens. Iam uero hæc confracta sudoribus ac bilis uomitibus hora tertia noctis, mox extendebatur ad diei paris horam secundam. Et cum iam quieti appropinquaret, rursus horrida atq; inæqualis accessio succedebat, quam imparibus diebus fieri diximus. Deinde per totã diem maligna, cõpressa, ac deinceps adducta, uix occidente sole ad statũ perueniebat, ac declinare incipiebat hora quarta noctis. Deinde manè rursus superabundantes reliquias, augmentum

A gmentum inæquale usque ad octauam superueniebat horam. Et cum iam manifeste statum obtinere febris uideretur, iam febrem hanc altera tertianæ febris exquisitæ accessio suscipiebat. Hanc nos febrem statim die secunda, ex complicatione semitertianæ febris atque tertianæ factam cognouimus. Longe uero certiorem tertius dies præbuit cognitionem: atque in spem uenimus, alterum tertianæ febris circuitum finem habiturũ, alterum in longius tempus debere protendi, quod etiam contingit. Et nunc aperte uisum in reliqua parte ægritudinis sola superesse semitertiana, quæ principium quidem totius circuitus par faciebat, in die uero impari superaccendebatur. Tales quidem mixtiones non est uniuscuiusque dignoscere. Si qua uero febris in primo die exquisita tertiana deprehensa, deinde die sequenti similem priori omnino fecerit accessionẽ, hæc longe tolerabilior est, duplex existens tertiana. Sic autem & duæ & tres quartanæ sæpius inuicem complicantur, quas accessionum forma à quotidianis distinguit. Neque enim quod singulis diebus accessio fiat, hoc sufficiens signum est ad febres quotidianas indicãdas, sed & febris ipsius accedentium formæ. *Febres coniugatæ.*

De trium tertianarum febrium complicatione.

HISTORIA NONA.



FVIT quidam adolescẽs, qui circa autumni finem, quum in prima die circa quintã horam cœpisset febricitare unà cum rigore breui, deinde cum paululum sudasset multo uesperi, mox circa horam septimam noctis, priusquam exacte febris desisteret, febricitare rursus incepit cum rigore breui, deinde paululum sudauit; in secundo die ac circa decimam horam iterum similiter accessionem habuit, ac statim similiter sudauit in nocte. Deinde tertia die, hora tertia cœpit febricitare, antequam prioris diei declinatio in quietẽ desineret. Nobis igitur omnem febris formam diligenter considerantibus, uisa fuit trium complicatio tertianarum: Nam & quæ primo die cœperat hora quinta, & sequenti nocte rursus hora septima, & quę in secundo die hora decima, & pulsus & caliditatem omnia propria tertianis habebant, sicuti etiam rigores atque sudores. Nulla uero ex his ad quietem perueniebat, quum sequẽtis tertianę accessionis principium anticipabat. Sicuti si nulla alia febris successisset, horis tribus aut quatuor homo sine febre perstitisset. Trium quidem tertianarũ complicatio in secũdo statim die nobis uisa est manifeste. Quod autem anticipando accessiones faceret, tertio die primum cognouimus. Nam hora secunda febris inuasit, non quinta, quemadmodũ in primo. Tertiani uero circuitus, indicia omnia, ijs quæ in primo die apparuerant attulit manifestiora. Ab hoc uero die deinceps obseruantes, omnes inuenimus accessiones duabus aut tribus horis anticipãtes. Quare & illa quæ primæ proportione respondebat in circuitus successione, quinto die oriente sole facta est, septimo uero multo celerius, ueluti circa horã noctis nonam. Deinde quæ post hanc, secundũ eandem proportionem, in hora noctis septima: & quæ sequuta est, hora quarta. Atque ab hinc rursus quæ successit, quarta, & quæ post hanc, quinta: deinde iterũ sexta, deinde octaua hora, decima à principio accessio facta est. Secundũ uero similẽ huic proportionẽ, & aliæ duæ post septimũ periodũ non solum anticiparũt, sed etiã tardius aduenerũt, quando & mihi & reliquis omnibus manifeste apparuit, qui semitertianam febrem esse putarunt, quantũ sua opinione aberrassent. Nam cum accessionũ ꝓlixitas ad octo horas cõtracta esset, ipsoq; accessionis insultu nõ amplius anticipante, sed potius retardante duabus iam horis, tũc accessiones ad infebricitationẽ deuenerunt. Et sic iam paulatim à longitudine dementes cessauerũt. Primũ quidem quæ

C leuissima erat: deinceps quæ magnitudine secunda erat, & tertia uehementissima inter ipsas, quod & ipsum non mediocre fuit indicium, quod statim ab initio tres tertianæ extitissent. Nos igitur haudquaquam latuerunt tres istæ tertianæ in secundo die, non ob aliam causam, nisi quod earum naturam exquisite noscebamus.

CAMPEGIVS.

Sufficiet autem sola ex prognosticis uerba, in hunc modũ se habentia subscribere: Febres iudicantur in eisdem numero diebus, ex quibus etiam homines liberantur, & pereunt. Nam mitissimæ febres & quæ tutissimis signis incedunt, quarto die finiuntur, uel antea: Pessimæ autem & grauissima signa præ se ferentes, quarto die interimunt, aut prius. Primus igitur earum insultus ita terminatur. Secundus uero ad septimum ducitur. Tertius ad undecimum. Quartus ad quartumdecimũ. Quintus ad decimumseptimum. Sextus ad uigesimũ. Hi igitur per quatuor exacutis ad uigesimũ, ex adiectione finiunt. Hæc uerba ostendunt manifeste, quod tertiam septimanam per continuitatem secundæ annumerat, quodq; decimamseptimam, iudicem facit uigesimę. Quapropter in separatis sermonibus Hippocrates inquit: Septenorum quartus est iudex, alterius septimanæ octauus principium. Vndecimus etiam cõsiderandus est, quartus enim secundi septenarij est. Item decimusseptimus cõsiderandus est, quartus enim à quartodecimo, & septimus ab undecimo est. Earum igitur febrium, quæ sine loco patiente ex humorum accenduntur putredine, tres sunt primæ ac simplices formæ, & earum scilicet quæ ex pituita, & quæ ex atra bile, & quæ ex flaua ortum habent: quas si quispiam exquisite dignoscere studuerit, singulas seorsim ac solas, iam non amplius difficulter earũ mixtiones inueniet.

D De tabida febre duo exempla. HISTORIA X



APVD Galenum libro primo de differentijs febrium cap. ix. sic scriptum est: Ego quidem uidi in laxioris intestini (Græci colon appellant) inflammatione diuturna, tabidã febrem fuisse secutam: itidem in similibus stomachi uesicæ ac renũ affectibus: nec minus à tali febre nonnulli sunt capti, qui dysenteriam patiebãtur, cum scilicet intestina inflammatione laborarent, in lenitate etiam intestinorum & longo profluuio: Alterum Græci lienteriam, alterũ diarrhœã appellant: quũ scilicet uel ab initio statim, uel progressu tẽporis febricula inuaserit, tabidæ febres consequuntur. Et ut simpliciter dicam, quando præexiccatum cordis corpus febrilem caliditatem quæ cum difficultate amouetur, acceperit. Alteri uero associata adhuc difficilius cognoscitur, sicut quæ nuper cuidam mulierculæ contigit, cuius accessio non die tantum, sed etiam nocte manifeste fiebat. Latebat enim tabida febris omnes medicos, quibus eiusdem curatio fuerat demandata, ut qui arbitrarentur, neque principiũ aliquod sensibile febribus hecticis inesse oportere, neq; incrementum, neq; consistentiam, tanquam nõ posset eisdem associari altera febris ex humorum putrefactione proueniens. At nos statim primis diebus in eadem muliere cognouimus: utraq; enim annotatio, & quæ interdiu & noctu fiebat, partes quidem breues accessionis faciebat, & sępius cum humore quodam aut spiratione uaporosa soluebatur perspicue, ita ut corpus ipsum bene temperatũ tangentibus uideretur. Signa autem ex arterijs accepta, de quibus pauloante sermo habebatur, semper remanebãt, cum neq; similiter ut aliæ partes refrigerarentur, neq; celeritatem aut frequentiam motus amitterent.

Aliud exemp. ex eiusdem lib. cap. ii

CAMPEGIVS.

Tabes est corruptio uiuentis corporis ex siccitate. Dupliciter autem corruptio dicitur. Hæc quidem in fieri, hæc autem in facto esse. Secundum primum quidem significatum,

A gnificatum, audire oportet appellationem: sic autem & ipsa tabes, hęc quidē in esse tabidum utiq;, alia uero in tabescere. Sunt autem genera tria uiuentium, animalia, plantæ, & semina, & propter hoc & fructus: horum utique esse passionem tabem, & corruptiones omnes quæcunq; fiunt propter siccitatem, tabem nominant. Quare & super ignem nomen hoc afferunt, & longius transferentes, super omnia paulatim corrupta.

De nocumento & uenenositate balnei. HISTORIA XI



APUD Galenum in secundo aphorismorum, aphorismo quadragesimo primo, sic scriptum uulgò legitur: Mulier quædam longum in balneo tempus commorata frequenter exoluebatur ob longiorem temporis diuturnitatem, & quoniā balneo magna ex parte ligna succendebantur uitiata. Verum id haudquaquā morbi signum erat, quam causam haberet manifestam. Porrò altera quā uteri affectus infestabant, hoc idem patiebatur. Quidā uero alter post longum ieiunium in balneo exoluebatur. Alteri autem, & si per horam lauabatur, idem accidebat, nisi prius aliquid panis assumpsisset. Quibus omnibus, aut debile erat, aut sensum plurimum habebat uentriculi os. Quicunq; uero ex nulla tali causa sæpius ac fortiter exoluuntur, hi ob uirtutis animalis imbecillitatem hoc patiuntur. Sicuti & ille cui dum exolueretur, cor fortiter palpitabat, derepente mortuus est, nō aliter quàm illi qui acutissimis cordis affectibus, quos syncopas uocant, arrepti subitò intereunt.

Exemplum secundum.

Tertiū exemp.

CAMPEGIUS.

Cardiacus morbus dicitur à corde uel ab ore stomachi, quod cardiam etiam Græ B ci uocant: unde Seneca, Bibere & sudare uita cardiaci est. Cardiacus etiam morbus appellatur, qui ad tabem hominē perducit, quod Galenus in simia sua dissecta perspexit. Syntexis est defectio animi, quæ latine defectio dicit: inde syntectici, defecti: lipothymici & lipopsychi isto morbo laborātes, animaq; & spiritu deficientes. Cordis tremor & cōcussio multis sanis adolescentibus & pubescentibus perspectus aduenisse. Dolet ijs caput absque alia exteriore causa, & hi omnes detracto sanguine subleuati sunt, & perfecte quidā ab eo casu liberati sunt, attenuante uictu post sanguinis detractionem, utentes itidem medicaminibus. Noui, inquit Galenus, quendam Veris tempore languentem tremore cordis, trienniöq; usum sanguinis detractione, & adiutum. Præuenisse autem in sanguinis detractione quarto anno, antequam in eum laberetur casum, atq; deinceps pluribus fecisse annis: Usum etiam uictu congruo, ueruntamen ipsum antequam fruesceret è uita decessisse, sicut & alij omnes.

Cardiacus.

Syntexis.

De tremore cordis exemplum.

De morbis populatim uagantibus ex Hippocrate.

HISTORIA XII



TERTIO aphorismorum, aphorismo undecimo, apud Galenum sic scriptum est, In secundo Epidemiarum, in ipso tempore uitiato Hippocrates ait, apud Cranonē factos esse carbones. Verba autem eius inibi hæc sunt: Pluebat in æstibus aqua ruente per totum: fiebant autē Austro magis. Manifesta igitur ex his quæ dixerat causa, ob quam apud Cranonem facti sint æstate carbones. Neq; enim paulatim mutauit temperaturam, sed ad talem peruenit constitutionem, in qua facile putrent quæcunq; naturam habent, ut putreant: habiles enim sunt humiditates modum excedentes, ad putrescendum. Nam morbi in tēporibus pluuiosis fiunt magna ex parte febres longæ, & alui fluxus, atq; pu-

C tredines: adhuc autem magis in his quæ calidissimæ sunt. In unum itaq; cōuenientibus adeò fortibus atq; immoderatis dispositionibus, ueluti in Cranone, tēpus secundum corpus nō expectat, uerum anticipat in priore plurimum offendi.

CAMPEGIVS.

Humor immodicus admodum, putredinem infert. In uniuersum enim siccitates pluuiosis tēporibus esse salubriores & minus mortiferas, ait Hippocrates. Cur autem neque in Vere pluuioso atq; australi existente, morbi uulgantur? quoniam antecessit hyems frigida ac sicca. Quapropter non est mirandum apud Cranonem factos esse carbones. Tantis enim imbribus annus ille apud illos maduit, ut terris ex inde humentibus atque stagnantibus, minus mirandum sit æstiuum aërem ad illam uenisse intemperiem calidam scilicet & humidam, quam Philosophi atque Medici omnium putredinum matrem esse confitentur. Similem uel peiorem aliquando fuisse ea scilicet tempestate, qua Gothi Italiam bellis infestabant, ex qua ingens orta est pestilentia: ipsum siquidem humidum quod in nostris putret corporibus, quædam ueluti materia est à ui caloris patiens: humiditas uero ambientis aëris, quatenus exiccari non sinit humorum in corpore superabundantiam, eatenus adiuuat uim putrefacientem. Aphor. 3.15

De Arthritide, quæ ad leguminum comestionem suam refert originem, ex Hippocrate. HISTORIA XIII

LIBRO eodem, aphorismo decimosexto, sic apud Galenum scriptum est. Hippocrates in libro Epidemiarū secūdo ait: In oppido Aeno per famem
D qui leguminibus uescebantur, infirma habebant crura: tum autem eruiuoros poplitum dolor excepit. Non itaque eos articulorum, sed poplitū dolore uexari docuit. Quispiam fortassis dixerit, nō unius articuli dolorē, sed complurium simul, Arthritim nominari: & ob eam rem dolores poplitum uel genuum nondum articulorum dolores appellantur.

CAMPEGIVS.

Quosnam dolores articulorū fieri tradidit Hippocrates per squalores, quæri agitariq; solitum est. Si enim absumunt ut qui immodici sint humorem articulorū, tarditatem quandam ex siccitate committūt. At forsitan cognominatum articulorum dolorem nequaquam moueant, nisi quemuis articulorum dolorem hunc in modū uocare libeat. Et quidem articulorum morbi, qui ex fluxionibus fiunt, nullo modo in immodicis siccitatibus fient. Qui uero ab aliqua acredine accidūt, si & caliditas ulla immodica accesserit, tunc solum euenient.

De capillitio siue pilorum generatione. HISTORIA XIIII

QVARTO aphorismorum, aphorismo septuagesimosexto, sic scriptum est apud Galenum: Nuper quidam talia corpora tam longa mingebat, ut incredibilis longitudo uideretur. Nam quædam ex ipsis ad dimidium cubitum extendebantur. Hic uero toto ferè anno, qui antecesserat, in usu cibario habuerat orobum, & fabam, & sæpissime caseum tenerem, tum etiam aridum & uetustum. Nec secus cæteri qui talia per urinam fecerunt, crassi succi cibarijs uescebantur. Tali igitur humore in renibus usto, capillis similes substantiæ generātur, & quidem modus ipse curandi rationi quæ de causa habetur attestant: Nam ab extenuantibus atq; incidentibus medicinis, adhibito etiā alio uictu humectante, ægri curātur. Si uero tanta esset exhulceratio renū

A aut uesicę, quod eorum substantia dissolueretur, non modò nihil ex talibus medicinis iuuarentur, sed supra modũ irritarentur. In his itaq;, sicuti & in alijs, Hippocrates dignus est admiratione.

CAMPEGIVS.

Si exeant capillamenta assidue, crassa redditur urina. Quippe pituitosa materia quam uenæ colligunt, renes perpurgant. Quod si carunculæ prodeunt, tale quiddam accidere necesse non est. Attamen nunquam uidit Galenus talem renum affectionẽ, sed ueluti capillamenta sæpenumero spectauit, per illas febres in quibus sedimentum uniforme euenire cernimus, ob pertorridũ in renibus sanguinem aut in iecore crassiorẽ: non tamen carunculas cultiore ratione unquam excerni per urinam perspexit Galenus.

De uulnere cerebri, ex sexto aphorismorum, aphorismo decimooctauo. HISTORIA XV



EREBRVM uulneratũ sæpius sanatũ uidimus, & semel & bis in Smyrna Ioniæ, uiuente adhuc præceptore Pelope, & erat uulnus satis effatu dignum: hoc igitur rarissimum est. Verum autem est, magna uulnera, quæ consueuit Hippocrates nominare discissiones uel præcisiones, afferre mortem: & fatentur omnes uulnera cerebri quæ usq; ad aliquid in uentriculos penetrant, etiam afferre mortem.

CAMPEGIVS.

Tenuiora intestina maximeq;, ut Galeno placet, uentriculus, carnulentiore materia sunt admodum prædita. Et ob eam, infit, causam uulnerata per summam corporis formam sæpenumero glutinãtur, & uelut collato fœdere in robur substantiæ corpulentæ concordi cõcretione coalescunt. Sed penitus excisa ad sinum usq; interiorẽ meantia, perraro senescũt. Porrò iecur si uulnereť, sanguinis profusione interimit, anteq; tale uulnus coëat. De uulnere cerebri dicetur lib. 4. hist. 25. B

De annua purgatione in atra bili, quam nostri melancholiam dicunt. HISTORIA XVI



N sexto aphorismorum, aphorismo xlvij. sic legitur: Aliquis singulis annis incidit in melancholiam siue maniam, nisi purgetur: Et res mira uisu, quomodo morbo iam inchoante, statim homo persentit primam eius generationem: & ego aduocatus purgo humores atros, & cessat protinus melancholia. Et huic homini ex purgatione ambo hæc optima eueniunt, quod scilicet & superfluitates expelluntur, & quod ex acritudine eorum quę excernuntur, paulatim aperitur os uenæ, quam uocant hæmorrhoidam. Per eam etiam excernit pars aliqua sanguinis uitiosi consueti euacuari, quo retento superuenit melancholia. Purgo igitur ipsum nõ solum Vere, sed etiam autumno. Si ex cõtemptu purgationem interdũ omiserit, statim affectionis accidentia persentit. Sic & mulierem quandã singulis annis Vere inchoante, similiter euacuans, cum aliquando tumorem cancrosum in mamilla pateretur, forti atq; frequenti cum medicamento purgante atram bilem adhibita purgatione, ad sanitatem perduxi. Et si quando purgatio omitteretur, dolorem profundum sentiebat, & me aduocato statim uolebat euacuari. Porrò in altero elephantem inchoantẽ primũ per uenæ sectionem & purgationẽ sanaui, & singulis annis rursus huic sufficit una purgatio, & ea omissa, statim passio innotescit. Morbi itaq; huiusmodi, atri humoris exigunt purgationẽ. Comitialis autẽ & apoplexia, & anhelatio, pituitosi & articulares, si cum multa fuerint caliditate, amaram bilem uolũt euacuari: si uero frigidis tumoribus, pituitam.

Exemplum secundum.

Exemplum tertiũ de Elephantia, quam neoterici Leprã appellant.

C Quidam alius tempore æstiuo semper febribus tertianis corripiebatur. Sed multis iam annis nõ febricitauit, quoniã à nobis purgari circa finem Veris rufa bile anticipauit. Sic enim melius est tales euacuare: sicuti illos qui morbo comitiali, apoplexia, & melancholia, & articulari, & alijs passionibus quæ ex crassis humoribus generantur, præstat circa Veris initia euacuare.

Exemplũ quartũ de febre tertiana.

CAMPEGIVS.

Operosum est, quorũ sunt sana corpora, purgare: torquentur enim & subuertuntur, proceditq́ difficilis deiectio, cõfestimq́ dissoluuntur, qui eo modo purgãtur. Expedit igitur eis quos purgare uelimus, prius tenuare, secareq́ crassos & cõglutinosos humores, spiramentaq́ quos uoce græca poros nominamus interpellare, quibus succi transumuntur, & trahuntur à purgatorijs medicaminibus: ac serosos tenuesq́ succos, in principio ægritudinum deijcere expedit. At in crassis & glutinosis expectanda est concoctio. In acutis autem, cum moueantur materiæ, & à principio medicamen adhibetur, id multa fieri cõuenit cautione. Quapropter Plato, in libro Vniuersi inquit: Morbi enim nisi periculosissimi sint, pharmacis irritandi non sunt.

De prænotionibus. HISTORIA XVII


LIBRO primo prædictionum in Hippocratẽ apud Galenũ sic scribitur: Ab hyeme futurũ uer est, à quo æstas, post autumnus. Et hæc est firma prænotio. Non firma altera est, ex quibus Aratus uersu cecinit de luna:

Si uero cornu sublimius annuat illi,
Vim Boreæ expectes, Austrum si rectà supinat.

Ita enim fieri magna ex parte obseruatum est. Atqui interdum non ita contingit. At uero Herophili astipulatores uolunt præsentionẽ esse firmam & stabilem, prædictionem uero nihil habere istiusmodi: atqui parte plurima barbarissant. At uero
D in cõsuetudine est Medicis spem de futuro magna ex parte, & item firmam nominare præsentionem. Si quis igitur uiginti prædictionibus oberrat, semel interpellauit perpetuitatẽ, melior tamen est, quàm qui bis à fine prædictionis intercidit. Rursusq́ melior hic est, q̃ qui ter: quomodo rursus ille, q̃ qui quater elusus est. Atqui promiscue tribuitur omnibus consequi finem magna ex parte. Talem ergo docendi uiam, ex qua auspicatus quispiam sæpius aliô consequatur finẽ, admittere: superuacuam aũt in significationibus nominũ operositatẽ abalienare & defugere, cõuenit: quã Prodicus tãtus sophistes exosculatus, peritioribus grauis molestusq́ erat, subindeq́ à Socrate mordebatur apud Platonem, in cæteris alioquin cõmendandus.

CAMPEGIVS.

Possunt Medici ex quatuor anni temporibus præsagire, possunt & ex corporũ affectionibus uel sanitatis uel ægritudinis euentũ præsignare. Quicquid ultra porrigitur naturæ metam, egressu superstitionis tangit confinia.

De aliquibus prædictionibus ex tertio prædictionum libro.
HISTORIA XVIII


OMNIA prompta animo obseruando, quæ in libris prædictionum dicta sunt, inspice, cõferendo ea inter se: ex his enim poteris prædicere ea quæ ab infirmis omittuntur, interdum etiam necessarijs ipsis haudquaquam exquisite perspecta, quemadmodũ sæpenumero me uidisti in ijs, qui strident dentibus ex natura, in illis haberi accidens pronũciare, ita ut existimarent familiares audientes non ex medendi facultate, sed exacte uaticinandi talem extitisse prædictionem: interdũ etiam in dormientibus, in conniuentibus oculis, ut id quoq́ in eis ex natura existat. Porrò mulieris cuiusdam uisus est adeuntibus nobis dexter oculus,

A oculus, alterum insigniter superare: de qua dixi, talem antea morbũ extitisse excessum. Et item in alio caua admodũ tẽpora: quo perspecto, tantisper dixi per naturã haberi affectionem. Itidem aliorum cruentos oculos esse per naturam. Cõuulsam uero in alio supercilij partem, aut oculorũ, aut labrorũ, & item nonnulla ante morbum ex quadam causa fuisse exteriore. Quinetiam intermittentem pulsum, atque etiam pulsus uarietatem, & alia generis eiusdem, ex natura in quibusdam haberi dixi, uel ipsis ægris haudquaquam perspecta.

De medicinis purgantibus. HISTORIA XIX



APVD Galenum in libro, Quos oporteat medicamẽtis purgare, & quando: sic scribitur: Nos sanè & podagram et articularem morbum incipientem, & nondum in articulis impressum, ex euacuatione multorum paroxysmorum fieri, inuadere prohibuimus. Eodem quoq; modo apoplexiam, epilepsiam, melancholiã, item & alias eiusmodi diutinas ægritudines per euacuationẽ in multis hominibus sedauimus: alijs quidẽ, quibus conferebat pituitosos exhaurire humores: alijs uero serosam superfluitatem, secundum substantiam affectionum quæ consueuerunt ipsos infestare.

Liber Galeni de modo euacuandi corpora.

CAMPEGIVS.

Venter interdum non excernit dato purgatorio, uel propter proprietatem naturæ infirmi, uel propter paucitatẽ exhibiti pharmaci. Nõnunquam & stercus condensatum & durum in aliquo intestinorũ cõtinetur, quod per clysterem euacuandum fuerat priusquam expurgans pharmacum daretur, prohibet euacuationem. Potest etiam cum natura sensibilem impetum facit, purgandi uim habens, nihil expedire. B Quædam tamen quando purgandi finem nõ assequũtur, aliâs quidem, ultra quod nihil corpus lædunt, animalis fiunt alimentum, aliâs uero in pharmacum quoddam & uenenum uertũtur. Sed cum omnia medicamenta uentrem uitient, maximeq; (ut infit Galenus) ipsius os, quod maxime nerueum sit & sensibile, mixtio odoriferorum necessaria est, ne sola, néue pura uis ipsorum attingat os uẽtris. Oportet autem quæ miscentur semina talia esse, quæ efficaciam ipsorũ non habeãt impedire. Sint quoq; subtiliatiuæ & incisiuæ uirtutis, & crassos humores incidere, & uias ipsarũ particularũ per quas euacuantur aperire, & refrenare possint. Oportet autem ut quæ misceant̃ purgatiua sibi inuicem consentiant, in nullo dissideant.

De ægritudinibus à prauis cibarijs prouenientibus, ex libro De locis affectis primo. HISTORIA XX



GALENVS in primo De membris dolentibus lib. sic scribit: Vidi hominem à calidis tum cibis tum medicamentis, atque ab omni calorifica uictus ratione irritari, rursus iuuari ab alimentis boni succi & temperatis, nominatis. Insuper inediam ei noxam inferre. Doloris uero speciem percontanti mihi, mordacem esse respondit: qua de re multo magis sperans ad ueram me peruenisse notitiam, ausus sum amarum ei medicamentum exhibere. Postremo conspiciens hominem mirifice adiutum, quæ fuerit dispositio, efficaciter me deprehendisse putaui. Fuit alter quem cibi concoctu faciles irritabant: hic de præcedentibus interrogatus respondit, se in hanc deductum dispositionem sumpto purgante medicamento. Rursus interrogans, quid ipsum ad sumendum medicamentum promouisset, intellexi mordaces, edaces que dolores, multo tempore uentriculum infestantes, fuisse in causa. Coniectans itaq; uitiatum fuisse à purgante medicamento intestinum ac dispositum ad fluxiones, ut facile reciperet ex hepate redundantes humores, qui deinde corrumperentur, cibum exhibui haud ita fa-

Aliud exemplum.

C cile corruptibilem, & astringentem, unde & mordaces dolores mitigati sunt, & nihil postea excreuit, cum antea protinus ut mordacitatem sentiebat, corrupta quædam & liquida, & fœtentia excernere cogeretur.

CAMPEGIUS.

Cibus & potus nõ omnium tantum morborum, sed etiam sequundæ ualetudinis cõmunia præsidia sunt. Victus præcipua cura habenda est, quo familia ab omni ægritudine custodiatur incolumis: nec enim luxuriosum, sed qui sanitatem prætendat exquirimus, sine quo reliqua frustra fuerint: pertinetq; ad medicum, omnium proprietates nosse. Primũ, ut sani sciant quomodo his utantur: deinde ut exequentibus nobis morborũ curationem, liceat species rerum, quę assidue necessariæ erũt, subijcere. Nam ut Auicennæ placet, subtilia nutrientia sunt magis sanitatis conseruatiua, & uirtutem minus iuuant, & fortitudinem: Grossa uero cõtraria istis sunt, & non nisi exercitatis conuenientia: & ut Israëlita Isaac inquit: Cibaria grossa laudabilia non sunt quietis, & in ocio uiuentibus: in his, infit, calore quiete cõgelato talia non digeruntur: quapropter summopere cauenda. Subtilis cibus est, cuius quantitas magna, corpus pauco pascit nutrimento. Grossus autem dicitur, cuius quantitas parua, corpus plurimo reficit nutrimento. Temperatus autem inter grossum & subtilem, est cuius moderata quantitas moderate nutrit. Si autẽ multa sit eius quantitas, multum: & si pauca, parum. Cibi autem subtiles sunt, ut caro pullorum, pisces parui, lactuca & huiusmodi, opportuni ijs, qui parui sunt laboris et exercitij: Grossi autem cibi sunt, caro uituli magni, & pisces grãdes, solidæ carnes, caseus recens, & similia, ijsq; qui magni sunt laboris & exercitij, & qui uirtutis necessariũ habent augmentum corporisq; corpulentiam, conueniunt.

Isaac in uniuersalibus dictis. cap. 8

Cibus subtilis.

Grossus.

Temperatus.

D

De uoce uitiata propter casum ex alto.

HISTORIA XXI



LIBRO eodem De locis affectis siue membris dolentibus, sic scribit Galenus: Cecidit quidã ab alto, ita ut dorsi initiũ affligeretur. Is tertio die exiguam admodum uocem emisit: quarto deinde die omnino obmutuit, resolutaq; simul fuerũt crura, manibus omnino illæsis: sed neq; spirationem amittebat, neq; difficulter spirabat. Cum enim tota sub ceruice spina esset resoluta, accidit thoraci, ut & septũ transuersum, & musculi superni, numero quidem sex, mouerentur: quippe nerui ex spinali medulla, quæ in ceruice est, ipsis adueniunt. At intercostaliũ musculorũ nerui, per quos flatum fieri diximus, omnes affecti erant. Cum itaq; frustra Medici negocium subirẽt, circa crura quidem, utpote resoluta: circa guttur uero, propter uocis affectũ: equidẽ id interdixi, atq; affecto duntaxat loco curationem adhibui. Proinde finita tandem spinæ inflammatione, à septimo die uox restituta est iuueni, & crura motionis facultatem recuperauerunt. Equidem in alio uocem uitiatam fuisse memini, adeò ut penè perderetur, infrigidatis uehementer neruis recurrentibus, cum per hyemem ceruix fuisset incisa: quod cum intelligerem, calorificis remedijs naturalem temperaturam neruis restituens, uocem reuocaui. Cæterum ut ob materiæ priuationẽ, perforato thorace: ita etiam aspera arteria tota incisa, uox perit: quod nullus supersit spiritus, qui ad propriũ uocis instrumentum transmittatur. Idem efficit, sed alio modo, laqueus collo circundatus: uerum hic non solum mutum reddit animal, sed etiam suffocat, tollendo scilicet spirationem. Cum ex ceruice quidam chœradas (uulgò scrophulas appellant) in profundo incumbentes excideret, unguibus eas euellens, imprudens ob ignorantiam simul recurrentes neruos distraxit, atq; hoc pacto puerum liberauit à strumis, sed mutum reliquit.

Exemplum secundum.

Exemplum tertium.

A Quidam alius in alio puero sectionem faciens, ipsum similiter semimutum reddidit, læso uidelicet altero duntaxat neruo. Mirabantur uero omnes, quo pacto neque aspera arteria, neque gutture affecto, uocem lædi cōtingeret. Qui cum rubentes neruos, me ostendente, conspicerent, admirari desierunt. Quibus igitur partibus, uel materiæ, uel facultatis copia, non transmittitur, actionem lædi probabiliter dixeris, parte ipsam faciente nequaquam læsa: At uero si uel à uaporibus, uel humoribus aliunde ad ipsam uenientibus lædatur, eam non recte dixeris illæsam. Quartum.

CAMPEGIVS.

Galenus in libro quē De uoce cōscripsit, ostendit quod exufflatio, materia quidem uocis est, sed efficiunt eam commisso thorace, intercostales musculi. Igitur his nihil agentibus, animal uocem amittit, & quidem nullo interdum in proprijs uocis particulis apparente affectu. Sunt uero huiusmodi partes, summatim quidem loquendo, totum guttur: si uero particulatim explicare uolueris, sunt tres cartilagines, à tribus motæ musculis, quibus accedunt nerui à cerebro demissi. Est prætere a in guture ligula, Græci epiglottida uocant, hæc maxime proprium uocis instrumentum est. Item uocare uoluit Galenus uocales neruos, quos ipse inuenit. Nam præceptores eius eos duntaxat qui ad arterias pertinent cognoscebant: & ob horū uitia uox perire solet, quoniam proprij gutturis nerui, quos equidem recurrentes nominare est solitus, ipsorum essentiæ pars esse censentur.

Quomodo Medicum locum affectum considerare conueniat. HISTORIA XXII

B LIBRO eodem apud Galenū sic scriptum uulgò legitur: Occurrit, inquit, quidam, medicamentum tribus digitis adhibitum ostendens, dixitq; triginta iam diebus sensificam ipsorum facultatem se amisisse, illæsa seruata motione, sed nihil præsidij ab impositis medicamentis percipere. Ego uero id quod in huiusmodi casibus facere consueui, ne tunc quidem obliuioni tradidi: quippe uocato Medico qui digitorū curationem susceperat, interrogaui cuiusmodi remedia adhibuisset: quæ cum intelligerē ad hanc rem esse idonea, causam inuestigare cœpi, cur nullum ab ipsis homo præsidium consequutus fuisset. Inquirens itaq; quæ præcesserant accidentia, inueni, ipso dicente, neque inflammationem, neque refrigerationem, neq; ictum præcessisse, sed ipsum paulatim sensum perdidisse. Captus itaque admiratione, rursus interrogaui, num superiorū partium aliqua icta fuisset? Ille respondit, digitos quidem non fuisse ictos, sed dorsi initium fuisse afflictum. Deinde quomodo, & quando id accidisset, cum interrogarem, respondit: se cum Romam proficisceretur, à uehiculo decidisse, ac non multo post digitorum incepisse affectum. Quocirca coniecturam feci, neruorum qui primi à septima uertebra procedunt, partem quampiam ob ictum fuisse inflammatam, ac nunc duram habere dispositionem. Id uero intellexi, doctus ex arte secandi corpora, quod nerui per propriam circumscriptionem, ueluti uenæ exoriri uidentur, adeò ut unumquenque exquisite unum esse putares, quemadmodum & uenam. Verum protinus ab origine multi sunt simul concreti, qui cōmunibus uinculis contenti, à cerebri membranis exoriuntur. Ergo neruorū, qui à ceruice prodeunt, ultimi exigua pars, ad minores peruenit digitos, per cutem ipsos continentem: ac præterea per medij digiti medietatem dispersa. Quod uero cæteros Medicos in maximam duxit admirationem, quod scilicet media pars afficeretur: id mihi persuasit potissimum, eam tantū nerui partem, quæ in cubito ab ipso egrediens,

C In iam propositis digitis finitur, esse affectam. Igitur adhibitum ei medicamentum abijcere iubens, illi præcipue spinæ parti, quæ in affecta particula principatum obtinebat, ipsum adaptaui. Sequutaq; est res, ut aspicientibus uidebatur, & admirabilis, & inopinata, quod digiti manus adhibitis spinæ medicamentis essent curati, & ab affectu omnino liberi. παράδοξον.

CAMPEGIVS.

Vnctiones autem & astrictiones istis admittantur: inde etiam cataplasmata languentibus sunt locis admouenda, quæ distrahendi & calefaciendi uim habeāt, nec non cōciliandi: præsertim musculis qui ad ceruicem & spinam intenduntur admouenda. Omnium autem efficacissimū est castoreum leuigatum, datum uno cochliario. Post hæc perunctiones utiles ex ruta & opopanace. Si itaq;, infit Galenus, musculorum neruos affici contingat, motus digitorum perit: Si uero eos qui ad cutem perueniūt, tangendi sensus corrumpitur. Sed ubi tota resoluuntur membra, cum uidelicet commune principium affectum est, simul & sensus & motus pereunt. Solus igitur ille, qui in ipsis fuerit exercitatus, exquisite considerare poterit, in qua uertebra spina sit affecta: siue tota, siue altera eius pars afficiatur. Accidit enim interdū ut duo, aut tres duntaxat neruorum processus afficiantur, cum interim spinam nulla noxa infestet. Sic affectus erat is, qui per reliquas quidem manus partes omnes ita fuit resolutus, ut neque sentiret, neque moueretur, sed in tribus solis digitis sensum habebat integrū. Porrò infit Galenus, cuidam alteri, non solum ij manserunt illæsi, sed etiam eorum musculorum, in quos neruorum propago sub septima uertebra exorta distribuitur, motiones seruatæ sunt. Atq; alius ob casum ab alto uehementer afflictus, solos eos musculos resolutos habuit, qui huius nerui partes suscipiunt. Idem etiam in ijs duntaxat cutis partibus sensum amisit, ad quas prędicti nerui ramusculi demittuntur. Castorei uirtus D

De duriore quorundam aluo plurima exempla.

HISTORIA XXIII



APVD eūdem Galenum eodem in libro sic scriptum est: Puer annorum ferè sex, inuitus per aluum excrementa deijcere incepit, resoluto derepente circa sedem musculo. Quinetiam seni quondam huiusmodi euenit accidens: atque rursus alteri puero, ætatis ferè annorum quatuordecim, excrementorum inuita per aluum excretio superuenit, infestante simul uesicam dolore. Atq; alteri urina quoque fuit suppressa. Contrà, alter urinam inuitus excreuit. Atque alter non solum urinam, sed alui quoque excrementa inuitus deiecit. In ijs omnibus, ea quæ præcesserunt, scrutari oportet. Nam in totum aut refrigeratam, aut ictam ipsorum spinam arbitrandum est. Sed frigus quidem uni duntaxat affecto musculo nocet, ictus uero magna ex parte pluribus noxā infert. Nam perrarum est, ut icta spina unus afficiatur musculus: quoniam nerui ex spina orti in plures musculos diuiduntur. Exemplū primum. Secundum. Tertium. Quartum. Quintum. Sextum.

De pedum putrefactione ex nimio frigore.

HISTORIA XXIIII



DE MEMBRIS dolentibus libro secundo, capite primo, sic apud Galenum scriptum legitur: Equidem noui quosdam adeò refrigeratis pedibus, ut in primis quidem sensus periret: sequētibus uero deinde diebus, emortui pedes putrescerent.

CAMPE-

A CAMPEGIVS.

Apud Galenum completa refrigeratio, & sensum & motum omnino tollit. Et cum stupor refrigeratio insignis sit, idcirco corporibus ita dispositis, & sensus & motus difficultatem inducit: ut plane uidere est in his, qui in hyeme per frigora proficiscuntur, atque in refrigerantibus quoque medicamentis: idq; non solum à medicamēto, sed etiam à circūfuso nobis aëre, ut Galenus nouisse in exemplo affirmat.

De proprietate & uiribus uini perueteris.

HISTORIA XXV



LIBRO eodem, capite tertio ita scribit Galenus: Pergami olim accidisse, memoriæ proditum est: neque absurda uidetur historiæ ipsius narratio. Grammaticus quidam singulis diebus lauacrum petens, unum ex pueris secum ducebat, altero domi relicto, qui rem familiarem seruaret, atque ea quæ ad uictum essent necessaria, prępararet. Puer itaq; domum custodiens, cum uehementi siti cruciaretur, nec esset ei aquæ copia, uinum antiquum liberaliter potauit, atque ex reliquo tempore uigil omnino permansit: postea correptus febre, unà cum uigilijs oborto delirio perijt.

CAMPEGIVS.

Vinum secundi est calefacientium ordinis: admodū uetus tertij, ut mustum primi. Inquit de temperamentis Galenus: Vino sua & eximia existit in mutatione celeritas. Est nanq; ut facula, & filum oleo perfusum, stupaq; & pix. Quapropter uitandus est uini usus pueris & iuuenibus. Vinū uetus, inquit Isaac, citò caput ascendit, & mentem percutit, propter suæ punctionis acumen, maxime si multum ex eo B bibatur, & parum ibi aquæ misceatur. Propter hoc, inquit, caueāt ab illo neruos debiles habentes, & qui sensus acutos habuerint: magnum nanque eis præstat nocumentum, nisi tantam in suis corporibus habeant humiditatem, quæ bene resistat uini acumini. Hæc ille.

De morbo Comitiali, quem Græci ἐπιληψίαν dicunt.

HISTORIA XXVI



LIBRO tertio capite septimo De membris dolentibus, siue affectis apud Galenū sic scribitur: Vidi in puero, qui tertiumdecimum ætatis annum agebat, cum equidem adolescens etiamdū, cum optimis eius tempestatis medicis cōuenissem, ad idoneam ipsius curationē inueniendā, audiui tunc narrāte puero, dispositionem ipsam à crure initium capere, mox illinc rectâ ascēdere per femur, & imminentes illi lumbos, ac per latera ad ceruicē, donec ad cerebrum perueniret: quod cum primū tangeret, ipsum hauquaquam sibi constare. Interrogātibus autem medicis, quale esset id quod ferebatur ad caput, nihil habuit puer quod responderet. *Exemplum primum.*

Alius deinde adolescens cōpos mentis (quippe qui satis poterat, & sentire quod fiebat, et alteri enarrare,) dicebat ueluti frigidā quandam auram esse, id quod ascendebat: unde ex duobus alterum Pelopi præceptori placuit, aut quod qualitas quædam, alteratis per continuationem partibus, aut spiritalis quædam substantia transmitteretur. Neq; mirandum esse dicebat, tam ualidam uim esse humori, qui in affecta parte præter naturam genitus fuisset, ut perniciosarum ferarum uenenis possit comparari. Quis enim crederet uel scorpionum, uel phalangiorū ictibus totum corpus tanta ac tam enormi mutatione affici, nisi sæpenumero id accidere uideret, præsertim minimam quandam rem feris in ipsum demittētibus? Sed puerū quoq; *Secundum.* *Pelops præceptor Galeni.*

C cuius morbus comitialis à crure oriri conſueuerat, medici qui tunc ad curationem eius conuenerant, ſanare ſperabant, ſi in primis uacuato uniuerſo corpore medicamen ex thapſia aut ſinapi parti adhiberent, ligato in medio mẽbro, ſupra eam uidelicet partem, quæ primaria diſpoſitione erat affecta: atq; hoc pacto acceſſionẽ reuerti prohibuerunt, quamuis antea quotidie puerum infeſtare conſueuiſſet. Verũ hęc obiter atq; ex abundantia dicta ſint, ne quis miretur, quo pacto ab ignobili aliqua parte, tantus morbus ortũ contrahere poſſit. Mihi uero per huiuſmodi conſenſum, uidenti aliquando laborantem, ſine uehementi conuulſione concidere, ſimul quod per interualla breuibus quibuſdã motibus quateret, probabile uiſum eſt, ut quemadmodũ frequentiſſime ſingultum fieri cernimus affecto ſtomacho, ita hanc quoque diſpoſitionem euenire.

CAMPEGIVS.

Comitialis morbus ſeu maior morbus, multis nominibus appellari ſolet. Aliqui ſacrum, alij epilepſiam, alij lunaticum, alij autem Herculeum, quod Hercules eum morbum paſſus ſit, nominarunt. Alij caducum: unde Serenus Samonicus inquit:

Et ſubiti morbi ſpecies, cui nomen ab illo,
Quod fieri nobis ſuffragia iuſta recuſet.
Sæpe etenim membris atro languore caducis,
Conſilium populi labes horrenda diremit.
Ipſe deus memorat dubiæ per tempora lunæ,
Conceptum talis quem ſæpe ruina profudit.

Sunt comitialis morbi tres differentiæ. Omnium autem ipſorum cõmune eſt cerebrum oblangueſcere, aut in ipſo primo conſiſtente languore, uel per conſimilem uentris oris ægritudinẽ. Raro autẽ fit tertia ſpecies morbi comitialis aperte aliqua,
D cui inſederit languoris exordiũ, ſiue ſentiat ipſe ægrotans in caput aſcendentẽ morbum. Perſpexi, inquit Aëtius, in puero principium affectionis à memoria factum, hinc tempore ſubſequẽti in copiam perueniſſe ad lumbos ſpinam, ceruicem, & caput uſq; conſcendiſſe. Cumq; capiti inhæſiſſet, non ulterius proſerpſiſſe. Fieri igitur non impoſſibile eſt, ut in membro aliquo huiuſmodi gignetur eſſentia, citra cauſam aliquam extrinſecus inuehentem, eamq; præſertim cum in parte neruoſa conſederit, continue uim remittit in principium. Quemadmodum hoc anno uidimus apud Lugdunum in quodam amico noſtro uiro clariſſimo, principium affectionis à pedibus factum, hinc in uentriculum perueniſſe, ac præcordia & ſpinam ad ceruicem atq; in caput uſq; conſcendiſſe. Dicebat, is ueluti frigidã rem eſſe, id quod aſcendebat & præcordia tangebat. Quare medici qui tunc ad curationem eius conuenerant, à principio tremorem cordis eſſe putabant: at ubi talia uidimus, cogitauimus ſubſtantiam quandam eſſe aut ſpiritalem, aut fluidam, quæ mole minima, ita facultate quammaxima eſſet. Itaque non impoſſibile eſſe dixi in corpore ſimilem aliquã eſſentiam generari, non accedente cauſa extranea, quæ ubi neruoſam aliquam partem occupauerit, per continuas partes, uſq; ad neruorũ principiũ uim ſuam tranſmittit, ſiue id per alterationem fiat, ſiue ſpiritali eſſentia, ueluti aura ad ipſum elata.

De ictu ſcorpij & draconis. HISTORIA XXVII

De morſu ſcorpionis & draconis ex tertio De mẽbris dolentibus.



DE locis affectis capite eodẽ, inſit Galenus: Cum nuper ictus eſſet à ſcorpione quidã, uideor mihi uidere, inquit, quod grandine percuſſus ſim, qui ſubinde omnino infrigidatus eſt, ſudore etiam frigido accedente, ſed tandem debitis adhibitis remedijs, nõ ſine negocio ſeruatus eſt. Sæpenumero enim inſigente aculeum ſcorpione aut in neruum, aut uenam, aut arte

riam,

A riam, manifeste uidemus percussos uehementissimis infestari accidentibus. Atqui scorpionis aculeus, totam cutem penetrãdo, ad profundum usq; potest peruenire. Expertus sum etenim, cum Alexandriæ essem, Rusticus quidam non longe ab urbe, in uno manus digitorũ draconis ictu percussus, eius radicem apud palmam ualidissimo uinculo ligauit, accurrensque in urbem, ad familiarem sibi medicum, totum digitum ab ipsa dispositione ad palmã usq; abscindendũ præbuit, sperans inde nihil se mali passurum: Neq; frustratus est sua spe, quippe nihil aliud faciens saluus euasit. Similiter aliũ noui, qui epoto ex uiperis medicamento, reciso prius digito, à periculo liberatus est. Vidi præterea rusticũ, cuius totũ digitũ uipera momorderat, qui falce, quã tunc forte habebat (erat enim agricola) ab ultimo articulo ictam partẽ resecans, deinde inducta in digito cicatrice, nullo sumpto medicamine, sanatus est. *Exemplum secundum.* *Tertium.* *Quartum.*

CAMPEGIVS.

Vipera est, semper habens præsentissimum uenenum dum calet, id est ira excandescit: quare Alanus inquit:

Vipera uirus habet, quæ cum calet euomit illud.
Claude sinum, prohibe, ne calefiat ibi.

Vipera dicitur quasi ui pariens, quia nõ nisi ruptis uisceribus parere dicitur, neque concipere sine maris interitu: nam dum concipit caput quod coitura semper in os sumit, abrodit. Neq; igitur patrem, neq; matrem uiuentẽ uipera prospexit, benignitate forsan naturæ, ne tam sæua pestis nimiũ proueniat. Venenosa sunt omnia animalia quorum natura longissime distat ab humana complexione, aut opposita & inimica est speciei, qualia sunt, serpẽtes, uiperæ, tyri, dracones, & lepus marinus, & carnes assatę & statim suffocatæ, & pisces frigidi, & morticinæ carnes & putridę, B & quæ à fulgure sunt percussa, & mortua, & quæcunq; patiuntur rabiem. Tyrus tamen cum loquimur de animali, nec greca nec latina dictio est, uerum generali uocabulo fera nominat. Feræ enim nominantur & bestiæ, quo nomine, ut inquit Suidas, ea maxime significantur, quæ morsu nocent, ut sunt uiperæ, serpentes, & phalangia: sic enim uocant araneos quosdam, quorum morsus est asperrimus. *Viperæ etymon.* *Animalia quæ uenenosa.* *Tyrus.*

De neruorum resolutione & cõuulsione. HISTORIA XXVIII



PVD Galenum in tertio interiorũ, capite decimo, sic scriptum uulgò legitur: Omnium pessima spiratio putanda est, quę & intermittitur, & magna cum uiolentia trahitur: quippe ut mori cõtingit apoplecticos, ob id quod spirare non possunt: sic homo qui corporis partes mouere nequit, ad uitæ functiones censetur inutilis, quamuis huic subitæ mortis periculum hauquaquam immineat. Sanè uidimus quendam, qui reliquis partibus omnibus resolutis, nullam, quæ ad faciei partes pertineret, actionem admisit, seruata etiam spiratione: quomodo enim uiuere diutius potuisset, ipsa magna ex parte deperdita? In quo affici putauimus illam spinæ partem, quæ paulò inferior est, processu neruorũ ad septum transuersum tendentiũ. Quinetiam & urinam, & alui sedimina, ipsum præter uoluntatis imperium emisisse manifestũ est. Insuper uidimus alium, cui propter casum omnes inferiores partes demptis manibus, resolutæ sunt. Sic etiam ubi uniuersæ corporis partes, quæ sub facie constitutæ sunt, resoluuntur, faciei partibus illæsis, affectionem in spinæ initio esse certum est. Atque eadem quoque ratione, si toti corpori conuulsio acciderit, eundem spinæ locum affectum esse declarat, faciei partibus omnino seruatis illæsis. Quod si hæ quoque afficiantur, cerebro noxam iam illatam esse ostenditur. Vbi uero pars aliqua cõuulsa est, neruum, qui eius motioni deputatus est, aut musculum affici, necesse est.

CAMPEGIVS.

C Sanè resolutio neruorum frequens ubique morbus est, sed interdum tota corpora, interdum partes infestat. Veteres autores illud apoplexiam, hoc paralysim nominarunt: sunt qui utrunq; uocitent paralysim. Apoplexia repente ortum indicat suũ humorem crassum, uel frigidum, uel glutinosum, alueolis cerebri dominãtioribus inhæsisse, implesseq; ipsos: non fit ex distemperantia totius ipsius essentiæ. Magnitudinem autem periculi conijcio ab respirationis detrimento. Cum enim multum impeditam uideris respirationem, ut uix suum obtineat locum, non exiguam conijcio esse ægritudinem ex cerebri affectione. Est sanè apoplexia ferè sensus ablatio, & totius corporis concussio, atq; immobilitas cum principalium membrorum detrimento statim eueniens. Hic morbus etiam dicitur syderatio, quod cum repentino quodam impetu eueniat, non causa aliqua inferiori, sed è cœlo ui quadam syderis prouenire putat̃. Hic dicitur etiam Epiplexia, astrobolia. Inde syderati, id est sydere percussi, & syderationẽ passi. Inde etiam apoplectici, id est latine attoniti, quorum uidelicet & corpus & mens stupet ictu fulminis uel morbo.

Quid apoplexia siue syderatio.

De particulari paralysi cuiusdam Syri sophistæ. HISTORIA XXIX

Galen. Internorum 3. cap. 10 de Syro sophista.



EODEM libro apud Galenum perperàm legitur ita: Sanè Pausanias Syrus sophista cum Romam aliquando uenisset, secundum duos minores sinistræ manus digitos, atque medij partem mediam, sensum in primis quidem difficilem habebat: postea uero male curantibus medicis, sensum omnino amisit. Quibus equidem cognitis, omnia quæ præcesserunt inuestigaui, atq; ipsum, cum per uiam duceretur, uehiculo excidisse, atq; in dorsi initio læsum: mox partẽ læsam breui quidem curatam sed auctũ in digitis sensus uitium
D audiui. Igitur remedia quæ illi digitis adaptauerant, læsæ parti adhibere iussi, atq; sic uir ille celeriter sanitati restitutus est. Etenim quod in primis scire oportet, quod uidelicet nerui per uniuersæ manus cutem dispersi, quibus sentiendi ad ipsam facultas defertur, proprias quasdã habeant radices: quodq; nerui musculos mouentes, ab ijs differant, medici ignorant.

CAMPEGIVS.

Hoc quippe uobis cum Galeno esto propositũ, ut affectã scilicet sedem, simulq; dispositionem eius inueniamus. Nisi enim, infit Galenus, hæc accurate cognouerimus, nequaq; eas partes, quibus uel sensus uel motus uitiatus est, recte curabimus.

De ijs qui sensus pariter & cogitationis uitio aberrant.

HISTORIA XXX



QVARTO libro, cap. primo De locis affectis de phreneticis inquit: Cũ Romæ quidam domi, cum lanifici puero contineretur, surgens à cubili uenit ad fenestram, per quam & ipse uideri, & prætereuntes uidere potuit. Itaque ex uitreis uasis singula ostendens, interrogauit, imperarent ne ut ea proijceret: Illi uero ridentes, plaudẽtesq;, ut ea proijceret rogabant: tunc ipse deinceps omnia arripiens eiecit: at illi magnis acclamationibus riserunt. Postea iuberent ne puerum quoq; proijci, cum eos interrogasset: atq; id illi iussissent, illico ipsum deiecit: quem ab alto cadentem uidentes, suppresso statim risu, accurrerunt, & confractum iam puerum sustulerunt.

At contrariã affectionem nõ solum in alijs, uerum in meipso, cum puer adhuc essem, expertus sum. Cum enim per æstatem ardenti febre laborarem, & festucas atro colore ex cubili eminere, & floccos similiter in uestibus esse putabam, quos auferre

A ferre tentans, nihilq; sub digitis eductum inueniens, accuratius uehementiusq; id
efficere conatus sum. Audiens itaque duos ex amicis qui tum aderant, dicentes: Vi
des'ne hunc iam & floccos euellere, & festucas colligere: statim intellexi, idipsum
quod dicebāt, me fecisse. Cum uero sic animo cōstarem, ut rationalis in me facultas
nō uacillaret, recte inquā dicitis, proinde ne phrenitis me arripiat, auxilio estote. Illi
autem quū idoneis rigationibus caput fouerent, tota die, sequenteq; nocte, graui-
bus insomnijs turbatus sum, ut interim & clamare, & exilire uiderer. Verum po-
stero die mitigata sunt omnia accidentia. Igitur constat, quod licet ab eadem causa
secūdum speciem accidentia proueniant, non tamen ab eadem sede quæ primario
affecta sit, emergunt, & in ijs qui ex cerebro, atque illis qui per uentriculi consen-
sum, ut dictum est, laborant. Cum enim in cerebro cuiuspiam bilosus succus abun
dat, acceditq; febris ardens, is afficietur perinde ac si ad ignem torreretur, oriturq;
tum fumus ueluti in lucernis ab oleo, qui per uasa, quæ ad oculum tendunt, dela- *Visorū causa.*
psus, uisorū in ipsis causa censetur: siquidem in anatomice uidistis, quod & arteriæ
& uenæ, ab his uisis ex quibus choroides mēbrana contexta est, simul cum neruis
ad oculum descendunt.

CAMPEGIUS.

Phrenitis est morbus lædens mentem, & ad insaniam, furoremq; deducens, ἀπὸ
τῆ φρενὸς, quod est à mente & parte rationalis animæ, quasi deturbatio mentis. Et
ex cordis uitio nasci à quibusdā putatur. Serenus Samonicus de eo morbo inquit:

Ex cerebri uitio phrenesis furiosa mouetur,
Amissaq; refert frondens amentia uires.

Latine delirium dicitur. Sunt autem tria insaniæ genera: Primum est in acuta febre, *Tres insaniæ species.*
B & hanc græce Phrenesim appellant. Illud in primis scias oportet, interdum in acces-
sione ægros desipere & aliena loqui. Quod non quidem leue est, neque incidere
potest, nisi in febre uehementi. Non tamen æque pestiferum est: nam plerunque
breue esse consueuit, leuatoq; accessionis impetu, protinus mens redit. Secundum
insaniæ genus est, quod spaciū longius recipit, quia ferè sine febre incipit, leues de-
inde febriculas excitat, & consistit in tristitia; quam uidetur bilis atra contrahere.
Tertium insaniæ genus est ex his longissimum, adeò ut uitam ipsam non impediat,
quod robusti corporis esse consueuit. Huius autem ipsius species duæ sunt: Nam
quidam imaginibus, non mente falluntur, qualem insanientem Aiacem uel Ore-
stem poëtarum fabulæ ferunt: Quidam animo desipiunt. Apud Posidoniū phreni
tis inflammatio est circa cerebri tuniculas cum febre acuta, cōminutionem ac distra
ctionem inferens intelligentiæ & mentis. Raro autem, inquit, phrenitis à principio
incidit cum febri. In multis ferè incipit à die quinto uel sexto, uel adhuc seriuscule:
eodem fermè periculo succensa: proinde alij quidem die septimo, alij nono abalie-
nari detrahiq; incipiunt. Differentiæ autem phrenitidis plures quidem, uerum ma *Differentiæ phrenetidis.*
xime principales tres: Aut enim phantasticū solum oblæsum, in ipsis uero custodi-
tur rationale & memoriæ conceptaculum: Aut rationale solum offenditur, conser
uatur autem phantasticum, & memoria: Aut etiam phantastici & rationalis est of-
fendiculum, sed memoria conseruatur. Memoria uero deleta in febrilibus ægritu-
dinibus, pariter ut plurimum aboletur etiam rationale & phantasticum. Anterio-
re ergo cerebri parte oblæsa, phantasticum duntaxat offenditur. Media uero aluo
offensa cerebri, auersio fit rationalis. Parte uero quæ ad neruulum posterioris cere-
bri tendit oblesa, uis recordandi amittit̄, cum ipsa frequenter duæ reliquę. Quibus-
cunq; igitur offensum est phantasticum, ij iudicant recte, at imagines concipiūt alie
nas. Quibus autē oblæsum rationale solum, mente uident recte, at male iudicant.

C Conuenit igitur parti magis offensæ adminiculari, & ne quidem quicquam aliorum negligere.

Quod ob unius particulæ imbecillitatem, omnes thoracis partes dilatari coguntur. HISTORIA XXXI

Exemplum primum de Athleta Secundo nomine.



PVD Galenum in quarto De membris dolentibus, siue affectis, capite quinto, perperàm legitur: Athleta Secũdus nomine, qui satis quid pateretur intelligebat, sentire se manifeste in septo transuerso dixit imbecillitatem: atque idcirco cogebatur intercostales musculos sine intermissione mouere, atq; nonnunquam superiores quoque: Interdum autem zonam circumdans præcordiorum partibus, sola transuersi septi motione, sufficienter spirabat, atque tum quiescebat. Verum an ad septi transuersi musculum, an ad neruos qui ad ipsum perueniunt, an ad aggregatum ex utrisq; pertineat huiusmodi imbecillitas, mihi quidem explicatu perdifficile uidetur.

Secundum. Idem spirationis genus etiam in alio quodã notaui: quem cum aliquando equus in præcordiorum regione calcitrasset adeò atrociter, ut oborta in septo transuerso inflammatione, mortis subinde periculum immineret: Is licet euaserit à periculo tutus, ab imbecillitate tamen liberari nequiuit.

Tertium. Alteri etiam, qui à uehementi peripneumonia infestabatur, brachij tam externę quàm internæ partes à cubito ad summos usque digitos, sensus difficultate laborauerunt, atq; motus quoque nonnihil læsus est. Huic præterea nerui, qui in primo atq; secundo intercostali loco inueniuntur, noxam subierũt: quorum primus non contemnendæ magnitudinis, per intimas partes abditus defertur, sed ei qui ipsum præcedit admixtus, atq; multifariam diuisus, ut in arte secandi corpora uidere est, D cuius etiam partes aliquæ per interiorem cubiti regionem, usque ad digitorum extrema perueniũt. Alter uero neruus tenuis quidem, nullisq; admixtus, per axillam sub cute ad brachiũ defertur, dispersus per cutis tam exteriores, quàm internas partes. Huic homini celeriter sanitas reddita est, adhibito medicamẽto ei loco, unde nerui prodeunt, iuxta primum ac secundum intercostale spacium. Atque sanati sunt quoque nonnulli, quibus utrunq; crus paulatim resolutum erat, adaptato lumbis medicamento, in eo spinalis medullę loco, unde cruribus nerui adueniunt, nullum resolutis cruribus medicamen adhibendo. Neque enim ipsorum, sed medullæ prius erat affectus.

Quartum. Vidimus aliũ, cui magna oborta suppuratione in altera nate, iuxta cruris initiũ, nerui eiusdem cruris per incisionem nudati sunt: sed ea parte sanata, toti membro mouendi difficultas accidit. Itaq; conijciens, durum quippiam à priori inflammatione in neruo derelictum, quod huiusmodi dispositionem induceret, affecto loco idoneum medicamen adhibendo, hominem perfecte sanaui.

Quintum. Præterea piscator quidã, cum in fluuio pisces uenaretur, adeò circa sedem & uesicam infrigidatus est, ut ipso inuito effluerent & alui excremẽta, & urina. Atq; hic quoq; per calida remedia affectis musculis adhibita, celeriter sanus euasit.

Sextum. Item alius eisdem molestatus accidentibus, sine tamen manifesta causa, læsis circa os sacrum neruis, multo tempore per multa præsidia, uix sanatus est.

Septimum. Verumetiam caput cuiusdam, nõ ita pridem impositis medicamentis uehementer calidis, hulcerauerũt, putantes sensum ipsius grauiter læsum, hoc pacto posse reuocari. Atq; hunc ipsum sanauimus, inuenta sede affecta, tum ex reliquis accidentibus, tum ex euidẽtibus causis. Nam super singulis interrogauimus, quarum una huiusmodi erat: Cum sub multa niue ac uento impetuoso ambulasset, pallium

A circa ceruicem madefactum aiebat, adeò ut uehementi se frigore in ea parte affe- ctum sentiret. Itaque si sciueris ex primis spinæ uertebris, quatuor neruos ad caput ascendere, à quibus pellis ipsum ambiens, sensum accipit, facile sedem affectam inuenies. Hac igitur sanata, capitis quoq; pellis pariter sanata est, utpote quę nulla primaria affectione laborabat.

CAMPEGIVS.

Si ex arte, quę corpora secare docet, ad quam particulam descendant singuli nerui à spina prodeuntes cognoueris, affectas sedes quamfacilime inuenies. Ex artis itaque actionibus horum omnium examen re ipsa deprehendite. Nanque sæpenumero uidistis ex huiusmodi notitia, manifeste iuuari laborantes. Galenus uero sæpenumero nos monuit, alios quidem in ipsa spina ueluti radicem habere, alios uero, ut ex magnis ramis, atque ipsis quoque è spina exortis, procedere: Qui rursus diuisi, distribuuntur: atq; alij per uniuersas ferè cutis partes, alij per pauciores. Quo magis miratur Galenus dissectores ipsos, illos non cognoscere, cum in neruorum resolutione quærunt, quam ob causam resolutarum partium non semper & motus, & sensus pereat: Videntes aliquando sensum duntaxat, aliquando sensum & motum simul deperdi.

De cruoris screatu ex hirudine loco adhærente.

HISTORIA XXXII

QVARTO De locis affectis siue membris dolentibus apud Galenũ sic scriptum est: Si aliquis cruorem plurimis diebus screauerit & emunxerit, idq; citra capitis uel dolorem uel grauitatem, siue præsentem, siue B præteritam, neque is ex ictu procedat: huius & totum per nares meatum, atque eam oris sedem, quâ ad nares foramen tendit, accurate considerare oportet. Nam fieri potest huiusmodi accidens, hirudine huic loco adhærente, quæ quidem indies augeri solet: quãuis enim primis diebus, utpote exigua, sensum effugiat, tertio tamen quartóue die, haud obscure uideri potest. Eadem ratione ex uentriculo quoq; cruor, epota sanguisuga euomit. Sed est huiusmodi cruor tenuis, sanieiq; speciem refert, siue is ex uẽtriculo, siue naribus, siue ex ore feratur. *Per saniem hoc loco ichor non pus intelligas.* Igitur cum tabem uideris, ac hominis considerato habitu, super præteritis eum interrogaueris, ex omnibus rei ipsius ueritatem facile conijcies. Equidem cum uiderem hominem, integra ualetudine, huiusmodi cruorem euomentem, interrogaui qua uictus ratione antea fuisset usus. Ille uero inter alia quæ narrauit, hoc quoque addidit, quod cum nocte quadã sitiret, misso puero qui aquam afferret, ex immundo fonte bibisset. Quibus auditis, sciscitatus sum, apparuissent'ne aliquãdo sanguisugæ in ipso fonte: qui cum id quoque fateretur, epoto subinde idoneo pharmaco, hirudinem uomitione reiecit.

Porrò cum alter quispiam huiusmodi cruorẽ emungeret & expueret, ipso narrante audiui, eum rure æstatis tempore, in stagno quodam, cum cæteris iuuenibus iuuenili ludo, qualẽ adolescentes in aqua ludere solent, exercitatũ. *Alid exemplũ.* Tum ego sciens in eo stagno sanguisugas esse, duxi laborantem ad splendorem, conuersoq; directe ad Solis radios nariũ foramine, in eo meatu ubi nasus ad oris regionem perforatur, hirudinis in meatu suspensæ caudam conspexi.

CAMPEGIVS.

Hirudo siue sanguisuga, non eum qui in profundo est, attrahit sanguinem, sed eum modo q adiacet carni emulget. Vtimur autẽ loco uentosarũ. Euellimus uero

C hirudines, cum æstimauerimus mediã partem attractã fore sanguinis: prohibemur autẽ ut non sinamus effluere quousq; quod sufficit euacuet. Particula infrigidatur succis natura frigidis existentibus, & à cõtinente. Oportet autẽ ponere eas in aqua tepida & munda in uase amplo, deinde spongia assumendo eas, & uiscositatem abstergendo, per manus auferendo. Postquam autem adhæserũt, oleum tepidum infundimus particulæ, ut non infrigidetur. In naribus uero & pedibus ipsam particulam ponere oportet, in qua sunt sanguisugæ. Si uero bene adhæserunt, abscindere oportet cum forficibus caudas earum: effuso enim sanguine attrahere non desinũt, quousq; nos sal, aut cinerem applicuerimus ori earum. Postquam uero ceciderint, uentosa siue cucurbitula oportet uenenositatem earum attrahere. Si uero non, fomentetur cum spongijs particula, aut siquidem sublachrymat, cyminũ aut farinam applicandũ, deinde lana oleo modico intincta eam inuoluendo. Si uero sanguis destillat, liendas apponendum per acetum uel gallam combustam, uel spongiam ponendo in pice humida & comburendo, apponere. Hęc enim sunt quæ Galenus in libello De hirudine posterioribus reliquit.

Multa exempla de hulceribus pulmonis. HISTORIA XXXIII



PVLMONIS hulcera dolor nõ comitat. Ea uero quę in ijs sedibus oriuntur, dolorem quidem inducunt, sed nõ uehementem, ut si alicui suapte natura hebes fuerit sensus, ipsum planè non percipiat. Persæpe igitur uidimus eos quos iam suprà ꝓposuimus affectus, & qui pulmoni, & spacio thoracis, & asperæ arterię, & gutturi accidere possunt: quippe omnium horum rationis communitate inducti, mentionem fecimus. Quidam humorem repente *Exemp. primũ* expuit liquidæ bili in colore perquam similem, medium uidelicet inter flauũ ac pallidum, ac nulla acredine infectum, atq; ita quotidie magnam eius quantitatẽ expuit: D deinde, leui suborta febricula, tabescere incepit, adeò ut purulenta screaret. Postea tractu temporis, quatuor uidelicet mensium, exiguũ cum pure cruorem eiecit, atq; sic aucta febre, magis consumebatur, ac iterum atq; iterum plus expuebat, adeò ut magnã sputi quantitatẽ redderet: quocirca magis increscente febre, ac resolutis uiribus, eorũ qui tabe marcescũt exemplo mortẽ obijt. *Exemplum secundum.* Deinde alium uidi eodem ferè modo sex mensibus, ac alium quoq; diutius laborantes. Igitur qui primus nobis occurrit, in initio quidem nihil mali habere, sed tandem pessime affici uisus est. Alterum uero quum conspiceremus, ei statim ab initio cognito malo, præsenti medicamento succurrere tentauimus. Ac multo etiam magis tertio. At quamuis multo negocio utrũq; liberare conaremur, nihilominus neq; horũ ullus, neq; alius post eos, seruari potuit: cum enim morti iam proximi essent, pulmonis ipsius putres quasdam partes expuebant. Proinde facile cognoui, haud absimili eos affectu laborare, qualem in externis partibus uidere solemus, quũ à putrefaciẽte quopiã humore inficiuntur. Verum has & abscindere, & urere possumus: pulmoni uero horum auxiliorum neutrum adhibere licet. Quapropter omnes subinde perire necesse est. At uero, postremum cum uiderem, ad uisceris fortem exiccationem solicito me animo conuerti, & quidem odoribus atq; potionibus ad id efficacibus: proinde medicamentum quod hedychroum uocant, interdiu naribus ipsius iugiter adhibere iussi. *Hedychroum.* Ad somnũ uero sese conuertenti præscripsi, ut narium foramina ex aliquo preciosorum unguentorum illinirentur, qualia uidelicet Romæ præparari solent: Vocãt uero ea & foliata & spicata. Atq; dedi in potu medicamenta, Mithridaticam uocatã cõpositionem, ambrosiam, athanasiam, theriacã. Itaq; perpetuo anno sic educatus, tandem similiter ut reliqui tabidi, uitam finiuit: quam fortasse, ob iam dictam educationem, longiori tempore protraxerat. Præterea alium huiusmodi affectum in pulmone notaui. *Aliud exemplũ singulare.* Quidã diuturna tussi uexatus, & exiguũ lentumq; pus expuens, frustum

A frustum quoddã paruo grandius grano haud absimile excreauit, ac deferens illud mihi ostendit: atque rursus nõ ita multo post, aliud quoq; attulit: Vnde conieci, lentum illũ humorẽ, quẽ antea expuere solebat, ad huiusmodi substantiã peruenisse: quãobrem medicamentũ ei in potu dedi, quod suspiriosis auxiliari cõsueuit: atq; ita factum est, ut minorem expueret grandinem, atq; longiori quàm antea interuallo: neque pluribus deinceps annis adeò mitigari potuit affectus, quin tandem moreretur. Cæterum grandines ipsæ magna ex parte erui magnitudinem æquabant, quamuis interdum maiores, interdũ minores esse uiderentur. Atque alios quoque similiter quidẽ spuere, sed nihilominus in multos annos uitam extendere uidimus: quorum alij aliam ob causam, alij uero ob spiritaliũ instrumentorũ affectum mortui sunt, quamuis nihil cruoris excrearent. Ea uero quæ Antipatro medico acciderunt, nemo est qui nesciat, utpote qui medicam artem publice apud Romanos professus est. Agebat hic ætatem sexaginta quidem annis minorẽ, sed quinquaginta iam annos excesserat: is correptus aliquando febre quadam ephemera, idq; ab euidenti causa, declinante iam febre, ut quid sibi facto opus esset intelligeret, pulsum ipse suum tangere aggressus est. Quum igitur omne inæqualitatis genus in arteriarum motione inueniret, in primis quidem territus est: deinde uero cum sese nõ febrire planè sentiret, illico balneum subijt, quippe laboribus ac uigilijs corpus fatigauerat, atque tenui quoq; uictu, donec diem tertium prçterijsset, usus est. Quo quũ nulla appareret febris, quotidie ad solita negocia pertractanda prodijt: atq; arteriam in extrema brachij sui parte tãgens, admiratus est perseuerantẽ in pulsibus inæqualitatem. Occurrens itaq; mihi, extendit manũ ridens, iussitq; pulsum tangere. At ego subridens, Quid inquam portendit hoc quod proponis ænigma? Ille iterum ridens, obnixe orauit, ut tangerem. Igitur inter tangendũ, omnigenam in pulsu inueni inæqualitatem, non solum in multarum pulsationũ cumulo, quam systematicen, id est cõgregatricem uocant, uerumetiã in una arteriæ distinctione: Proinde miratus quomodo uiueret, cum talem haberet pulsum: interrogaui, num difficilis esset ei respiratio. Illo uero nullam se sentire respondente, obseruaui equidem an aliquando mutaretur, quippe sex mensium spacio assidue arteriam tangebam. Cumq; ab initio interrogaret, quænam corporis dispositio mihi uideretur posse huiusmodi pulsum efficere, atq; per quem modum, idq; citra febrim: Ad eam quæstionem respõdi, in cõmentarijs de pulsibus iam declarasse me huiusmodi inæqualitatem. Nanq; ob magnarum in pulmone arteriarũ angustiam, id euenire putaui: angustiæ uero causam esse dixi, uisceris inflammationem. At tibi hanc ob causam id nunc accidisse impossibile est, quippe febre fuisses affectus. Relinquitur igitur uel oppilationẽ ex liquidis & crassis & uiscosis humoribus, uel crudi cuiuspiam tuberculi ortum, in huiusmodi te dispositionẽ induxisse. Tum ille respondens, oportuisset, inquit, me suspiriosa orthopnœa laborare. At ego probabilia, inquã, ipsum dicere, sed à ueritate aberrare: quippe fieri nonnunquam huiusmodi orthopnœam ob eam quam diximus causam: Id uero cum ab asperis, nõ in leuibus arterijs, crassus & lentus humor cumulatur. Proinde omnem ei uictus rationem, atque medicamenta quoque, haud aliter quàm suspiriosis adhibere iussimus: deinde sex (ut dixi) mensibus elapsis, leni quadam spirandi difficultate affectus est, accedente simul cordis palpitatione, in primis quidẽ semel, deinde bis atq; ter, postea quater, ac sæpius quoq; aucta simul spirandi difficultate, ad quintumdecimũ usque diem, post quem de difficilima repente oborta spiratione, resolutus statim obijt, aliorum quorundã exemplo, qui cordis affectibus laborant.

Exemplum de Antipatro medico Romano.

B

CAMPEGIVS.

Suspiriosi & anhelatores accipiuntur pro illis qui cum difficultate spirant. Fit igi-

C tur angustia meatuum spiritus interna petentis, cum multitudo conferta humorum crassorum & glutinosorũ, impacta fuerit pro obice spiritui, uel tumor aliquis apostematicus obstiterit. Itidẽ uero dyspnœicis, et qui asperas habẽt arterias affluente, fit morborũ discrimen inter ipsos inuicem, manifesta de causa, in sanos subitò incidente catarrho ut plurimum citra febrim, postquam comitantur propria catarrhi signa. Quod si tumor apostematicus in pulmone fuerit, fiat febris necesse est, ac nõ multò post mutato ardore, pus cum tussi respuitur. Quod si inconcoctũ phyma fuerit, sicut Medico euenit Antipatro, in leni pulmonis arteria, hi pondus maximũ non sentiunt, neq; ab orthopnœa tantum perturbantur. Qui uero proprie orthopnœici, & dyspnœici sunt appellati, ferè sunt sine febri, põdusq; sentitur graue, neque purulentum respuunt. Si autem curandum tibi citò cõmune quiddam esset in his affectionibus, et quiddam propriũ: cõmune ad consumendam ac absumendam superfluam essentiam humiditatis, morbos gignentis, propriũ glutinosorũ & crassorum humorum essentiam detrahentis, tenuantibus & arefacientibus medicaminibus, quę sanè cõmunis est ratio, ad omnia in intimo corporis apostemata. Vini aũt potio ambobus cõgruit, quod sit substantia tenue. Cunctis potus sit paucus qui languent apostemate: nam multus implet meatus glutinosis & crassis humoribus. Abstergentia nanq; huiusmodi humores medicamina, tusses quatiant necesse est: non facile aũt respuitur ob crassitudinẽ quod abstersum est. Maiori igit̃ humiditate opus est, quò facile eijciatur, & ob hoc plus potus dandũ est asthmaticis. Ad orthopnœicos asthmaticos Armeniæ boli drachmã dato potandũ cũ uino diluto. Aliud egregium ex Aesculapio: Aristolochia rotunda cum aqua pota, asthmaticis sucurrit, & magni centaurij radix, & exigui succi, pota cum aqua. Magnũ, inquit Archigenes, medicamen est purgatio iugis, ex ualidioribus facta medicaminibus, & uomitus ex rhaphanidibus & perunctionibus citati, cataplasmata ex ficubus, & farina ordeacea, quæ habeat resinam & ceram cum melle. Impinguat̃ autem ei etiã iris, & manna. Prosunt etiam malagmata quęcunq; cutem exhulcerant, & saniem abstrahunt, ut est Cissophontus, & diadaphnidon, diacenthryos.

Aesculapij medicamen.

D

De ægritudinibus cordis, & maxime uulneribus ipsius,

HISTORIA XXXIIII



LIBRO quinto de locis affectis, capite primo, ubi loquit̃ de tumore cordis præter naturam, inquit Galenus: In animalibus dissectis uidimus plerunq; plurimum humoris, urinæ speciem referentis, in eo, qui ipsum inuoluit panniculo, cõtineri. Etenim Simia quædam cum emaciari indies uideret̃, eam tamen necessarijs nostris negocijs impediti, secare in tempore non potuimus: Post mortem uero, reliquis corporis partibus omnibus illæsis, inuentus est in ambiente cor tunica, tumor pręter naturã, humorẽ in se cõtinens, qualem pustulæ, Græci hydatidas uocãt, emittere solent. Atq; in gallo quoq; uidimus cordis tunicam huiusmodi tumore, & quidẽ duro affectam, perinde ac si plures crassæ membranę inuolutæ altera alteri fuissent: uerũ in eo nihil humoris continebat̃. Vnde uerisimilis cõiectura elicitur, homines etiã similibus posse affectibus infestari. Inflammato aũt manifestè corde, gladiatores uidimus, haud aliter quàm cardiaca syncopa obijsse. Igitur si ad uentrẽ cordis uulnus aliquãdo penetrauerit, protinus magno cũ sanguinis fluore, hominẽ mori necesse est, idq; præcipue, si sinistrę partis uenter fuerit uulneratus. Si uero nõ ad uentrem usq; pertingat, sed in cordis substantia consistat uulnus, ex ita affectis aliqui nõ solum ea die qua uulnerati fuerunt, sed sequenti quoq; nocte, uiuere potuerunt, qui oborta deinde inflãmatione extincti sunt: atque etiã ij quandiu uixerũt, mentis cõpotes inuenti sunt: unde euidens sibi testimonium

Exemplum de Simia.

De gallo.

Aliud exempl.

A nium sumere potest, ea secta quæ negat, rationalem animæ uim in corde cõsistere.

Palpitatio aũt uisceris huius pluribus integra ualetudine degentibus, tum adolescentibus, tum adultis, subitò sine alio manifesto accidente euenire uisa est: atque omnes eos sanguinis detractio iuuit. Nanq; hoc pacto pleriq; perfecte ab hoc accidente liberati sunt, præsertim qui utebant̃ & uictu, & medicamẽtis, quibus esset extenuandi facultas. Horum uero nõnulli, quos rursus huiusmodi accidens infestare uidebat̃, simili curatiõe sospites euaserũt. Ceterũ noui quendam quotannis uerno tempore huiusmodi palpitationis accidente uexatũ, qui cũ per tres annos à sanguinis detractione se adiutũ intelligeret, anno quarto, antea quàm accidens ipsum inuaderet, sanguinem misit. Idq; pluribus deinceps annis faciendo, idonea etiã post sanguinis detractionẽ medicamenta adhibuit. At nihilominus hic quoq; ante senectutem morte præuentus est, sicut & reliqui omnes: quorũ alij quidẽ per acutas febres, alij uero cum sani degerent, affatim syncopa intercepti, interierunt. Quamuis unus uel duo, citra syncopã, alia quadam mortis specie perierint. At uero sic affectorum magna pars, ætatẽ agebat quinquaginta quidẽ annis inferiorẽ, sed quę quadraginta annos excederet. Porrò panniculus cor ambiens, quomodocũq; affectus sit, nisi inflammatione infestetur, inter ignobiles partes reputatur. Quocirca ipsius dispositio, per consensum ad cor transcurrit. Cum enim ipse solus afficit̃, exemplo reliquarũ omnium partiũ, quę ad custodiã & tegmentũ ceterarũ nobiliorũ factę sunt, nullum affert periculum: Etenim supercalefactum spirationem efficit magnam, & densam atq; celerem, ac calidum insuper spiritum reflat: Contrà refrigeratum, exiguam reddit spirationem & raram.

Phlebotomia.

Cordis panniculus.

CAMPEGIVS.

B In corde uitalis caloris, nutrimẽtiq; principiũ habet̃, irascentiæq; sedes. Pulmo ad custodiã id ambit ut strangulũ. Tanta est uisceris principalis reuerentia, quod inter omnia mẽbra solũ uitijs nõ maceret̃, nec uitę supplicia trahit grauiora. Cordi, ut inquit Aristoteles, nulla bilis appropinquare potest, quoniã illud affectũ nullum patitur uiolentum, mortem illico trahit læsum. Cor ipsum natura carnosum, ac musculosum, in summo pingue, sine osse, præterquã nõnullis animalibus, inuenitur, ut in ceruorũ cordibus. Cardiacus morbus appellat̃, qui ad tabem hominem perducit: quod Galenus in Simia sua dissecta perspexit.

Cordis substantia.

De quodam Grammatico, quem Comitialis morbus corripuit. HISTORIA XXXV



QVINTO libro De locis affectis, capite quinto, ubi loquit̃ de epileptia ob oris stomachi uitiũ, infit Galenus: Grãmaticus quidã iuuenis, quoties uel nimis uehementer doceret, aut cogitaret, aut inediã sustineret, aut irasceretur, comitiali morbo corripiebat̃. Perpendi equidẽ in hoc os uẽtriculi, utpote quod facile sentiret, affectũ esse, ac deinde p̃ cõsensum & totum cerebrũ, & corpus uniuersum cõuulsione cõcuti. Cui probam concoctionẽ accurate procurare, ac deinde uel tertia uel quarta hora panem optime præparatũ exhibere iussi, atq; hunc quidẽ solum, si nõ sitiret: si uero siti cruciaret̃, ex uino madidũ, & quidem albo, atq; subacerbo. Nam huiusmodi uinũ & uentriculũ robustũ efficit: Ita haudquaq; tentat caput, id quod facere solent ea quæ uehemẽtes uires obtinent. Itaq; cũ hac uictus ratiõe utens, nõ ut ante afficeret̃, exactã iam notitiã me habere arbitratus sum, eorũ quæ prius sola cõiectura cõsequebar. Itaq; quolibet anno bis, aut etiã ter medicamentũ amarũ ex aloẽ ei exhibui. Purgatis deinde ex uniuerso uentre excrementis, resumptisq; ad proprias functiones uiribus, uir ille uiginti annis, quibus postea superstes permansit, integra inculpataq; ualetudine uitam exegit. Quod si aliquando ob ingruentia negocia diutius à cibo abstinere cogeret̃, exigua quadã cõuulsio-

C ne uexabatur. Alios quoque uidimus cõuulsione per morbũ comitialem, ob oris stomachi uitium correptos, cum aut nõ probe concoxissent, aut uini, & quidem meracioris plurimũ potassent, aut ubi Veneri immodice operam dedissent.

CAMPEGIVS.

Epilepsia, qui maior morbus, Herculeus, caducus, diuinus, comitialisque morbus dicitur, qui & plerũque ob stomachi cacochymiã prouenire dicitur. Nullo præcedente indicio, & bilioso superueniente uomitu, protinus ab omni noxa liberantur patientes: atque hoc modo affectorum nõnulli, res quasdam puscas & inueteratas uomendo reiecerunt, alij humorẽ porri succo similem. Quidam etiam, ut Galeno placet, uitiosis grauati cibis, soporosi permanserunt, donec ea quę os uentriculi opprimebant, omnia euomuissent. Atqui horum accidentiũ uix ullum crederes à uentriculi ore procedere, quemadmodũ ut syncopas quoque, nisi tam crebrò euenire crederentur. Est aũt stomachus in quo cibi cõcoquuntur rex corporis, & paterfamiliàs meritò nominatur à Sereno, dum inquit:

Stomachus rex corporis.

Qui stomachum regem totius corporis esse
Contendunt, niti uera ratione uidentur.
Huius enim ualidus firmat tenor omnia membra:
At contrà eiusdem franguntur cuncta dolore.

De imperiali quodam seruitore, qui à uipera morsus erat, & de iecoris imbecillitate. HISTORIA XXXVI



CAPITE septimo, libri quinti Membrorũ dolentiũ siue affectorum, infit Galenus: Videmus aliquando citra morbi indicationẽ, sanguinem ab extranea aliqua occasione corruptũ, biliosum effici, qualis etiã à feris mordentibus fieri solet. Etenim imperialium seruitorũ quidam, qui uiperarũ

D uenationi deputatus erat, cum à uipera morsus esset, aliquanto tempore medicamenta quibus uti cõsueuerat, potabat. Cumque uniuersi corporis color mutaretur, adeò ut porri colorem referret, accedens singula nobis enarrauit: cui epota theriaca quàm celerrime color secundũ naturam restitutus est. Solent autem medici inuestigare, an assumpti ueneni propria extent signa, eo quod sæpenumero uideant, citra letalis ueneni potionẽ humores similiter, ut epoto ueneno corrumpi. Verum non mirum est, si sic aliquando mutentur humores, ut uniuersum corpus auriginosum euadat. Quanquam fieri etiam potest, ut iocinoris secundũ naturã temperatura mutata, humoris huiusmodi uitio afficiatur, & quidem citra obstructionẽ, aut inflammationem, aut scirrhũ. Quinetiã manifeste quandoque uidemus, uniuersum corpus, herbis candenti pallore infectis, similari: interdũ plumbeũ aut fusciore quoque referre colorẽ: interdũ etiam alias quasdã ineffabiles colorũ proprietates, quæ iocinore suo munere nõ recte fungente, accidere solent. Sic ob splenis quoque uitia, huiusmodi colores eueniunt, sed multo nigriores quàm ab hepate. Etenim Stesianus cum medicorũ iudicium subijsset, nescio quo pacto eorũ nõ pauci, abscessum in ipsius hepate cõsistere crediderint: sed posteaquã longo tẽporis spacio, nihil se in melius proficere sentiret, me quoque uocauit. Igitur simulatque domũ, ubi iacebat, fuissem ingressus, aspiciẽs eum, Hoc inquam scias uelim nullũ tibi esse in uiscere uitiũ: sed quid aliud te molestet, nudatis præcordijs declarare conabor. Inueni ergo in profundis musculis abscessum, cõtracto iam pure in medio spacio eorum musculorũ, qui per transuersum incedũt, atque illorũ qui oblique ab infernis sursum tendunt: qui ut nouistis, medij sunt inter eos qui trãsuersi peritoneo incũbunt, & eos qui sub externa cute obliqui deorsum feruntur. Sic etiam alios cõplures scitis me notasse, per colorẽ declarãdo, modo iecur modo splenem esse affectum, nulla audita præteritorum accidentium narratione, neque etiam per tactum inuestigato uiscerum affectu.

A CAMPEGIVS.

Iocinori uarij deputantur morbi: Nam infirmitate, & inflammatione, & erysipelatibus (Dicitur autem erysipelas à Græcis, cum super inflammationem rubor hulcus ambit) & scirrhis, & abscessibus corporis, quæ apostemata nominantur, & hulceribus, & oppilationibus capitur. De infirmitate igitur ipsius primo aliquid dicendum, qua hepaticos proprie languentes appellare consueuimus. Si itaq; succos exhaurit secessus, humidiora uero in iecur redeant, aut in totum uenter uacet morbo, existimãda est iecoris uis ad trahendum infirma. Si uero similia ablutioni recentis carnis uideantur excremẽta, alteratiua & sanguinis effectrix dicenda est. Verum si ob calidam distemperantiam, primum quidẽ putrefactiones fient humorum, deinde carnis ipsius iecoris, & compunctiones uẽtris malæ olentes, bilis admodum crassa & affluens colore, ut in pestilentibus febribus apparet. Contabefacto autem iecore, totum contabescit corpus, & febricitant languentes, appetitumq; amittunt, & feculentũ hauriunt, & bilem uomunt. Si frigida uero fuerit distemperantia, neq; perpetuę excretiones, neq; multæ fiunt: inueterescit morbus, diebusq; aliquot fluit uenter male olens uelut lutum sanguinis crassi, similis atræ bili. Multos uariosq; colores frigida ostendit distemperantia. Cum obscura subest febris cõstansq; facies, magis appetentes sunt cibi. Quomodocumq; tales fuerint distemperantię, ubi ariditas subest, excrementa docent, sitis adest, si paucitas sumitur: cum humiditas, humidiora & plura minusq; sitiunt. Inflammato autem iecore, cõmuniter quidem omnibus dolor oritur in dextris præcordijs, sursum penetrãs ad iugulũ usq; humerũq; partis eiusdẽ. Multa alia sunt iecoris accidẽtia, quę ob epithematis angustiã derelinquim⁹.

De iocinoroso quodam medico, qui à semetipso & ab alijs Pleureticus iudicatus est. HISTORIA XXXVII

B 

APVD Galenum De locis affectis, capite eodem, cum de iocinoris intemperaturis fieret sermo, inquit: Cum primũ Romam uenissem, magnifice admiratus est me Glauco philosophus, ob huiusmodi quandam dignotionem. Etenim per uiã mihi occurrẽs, opportune, inquit, aduenisti: iungensq; dextrã dextrę, Proximi sumus, inquit, laboranti, quem nuper uidi: Itaq; oro, ut unà mecũ ad ipsum uenias: Est aũt Siculus medicus, quem nõ ita pridem mecum ambulantem uidisti. Ego uero, quid inquam molestat ipsum? Tum ille & copiose admodum, & aperte id declarare aggressus est: neq; enim adeò erat uafer, ut aliquid me celare posset. Quoniã heri, inquit, et Gorgias & Apelas mihi nunciauerunt, notiones præsagiaq; ędidisse te, quæ ad diuinationẽ potius, quàm ad medicinã pertinere uidebanť: cupio equidem periculũ facere, non adeò ut tuam experiar doctrinã, quàm ut sciam, num tanta sit in arte medica tum cognoscendi, tum præsagiendi facultas. Interim cum hęc diceret, uenimus ad laborantis ostium, ut neque uerbo eius prouocatione respondere, neq; etiã ea quæ sæpenumero me dicere audiuistis, effari possem, quod scilicet multa interdum nobis feliciter facileq; apparent, interdũ uero omnia sunt ambigua, atq; idcirco & alterã, & tertiam quoq; considerationẽ expectamus. Itaq; in primo statim aditu obuiã nobis uenit quidã, peluim è cubiculo efferens, cõtinentẽ tenuem cruoris saniem, carniũ nuper mactatarũ ablutioni haud absimilẽ, euidentissimũ affecti iocinoris indiciũ, qua diligenter inspecta, unà cũ Glaucone ad medicũ ingressus sum. Apprehendi itaq; manum in carpo, id est circa flexum eius, quò intelligerẽ utrũ inflãmatio, an sola imbecillitas esset in uiscere. Quia uero ut diximus, medicus erat, Nuper, inquit, à deiectione decubui, itaq; perpende arterias ob id quod surrexerã crebrius pulsare. Hęc cum dixisset, inueni equidẽ inflãmationis indiciũ, prospiciensq; ad fenestrã, hyssopũ ex aqua mulsa decoctũ in olla considerauí: proinde cogitaui, medicũ se Pleureticũ esse putare, dolore uidelicet nothas costas infestante, qualis iocinoris quoq; inflãmationibus aliquando accidere consue

Lib. 5. de interioribus, capite septimo.

C uit. Hũc itaq; cum sentiret, essetq; spiratio & parua & crebra, atq; exigua tussi infestaretur, pleureticum se esse existimabat: quãobrem hyssopum quoq; ex aqua mulsa præparauerat. Intelligens itaq; ego quod fortuna uiam mihi preberet, qua apud Glaucone clarum nomen adipisci possem, manũ meã ad nothas in dextro laborantis latere costas admoui, indicatoq; loco, dixi eum ibi dolere. Quod cum ipse fateretur Glauco, ex solo arteriarum pulsu existimans me sedem affectam inuenisse, plane admirari me cœpit. Verum ut uehemẽtius stuperet, hæc quoq; addidi: Quemadmodum hoc in loco dolere te cõfessus es, ita uelim fatearis, etiam tussiendi cupiditate uexari te: etenim ex longis interuallis tussis exigua, arida, et qua nihil expuis, molestare te solet. Atq; ita me docente, incepit forte fortuna, huiusmodi quad tussis specie, qualem iam diximus, tussire. Qua de re tanta admiratione Glauco cõmotus est, ut continere sese non ualens, magna uoce exclamando, in laudes meas prorumperet. Tum ego: Non putes, inquam, sola hæc ex arte posse præsagiri. Sunt enim alia quoque, quæ nunc dicere aggredior, quibus & laborans ipse testimoniũ feret. Itaq; rursus incipiens, dixi: Cum magnam trahis spirationẽ, dolor ea parte, quam notaui, uehementius te cruciat, sentisq; in dextra præcordiorũ parte grauitatẽ. His auditis, ne infirmus quidem sese potuit continere, quo minus præ uehemẽti admiratione, unà cum Glaucone exclamaret. Itaq; sentiens equidẽ arridentẽ mihi fortunam, de iugulo quoq;, quod uidelicet ad inferiora trahi uideretur, aliquid efferre uolebã. At quia magnas inflãmationes, quemadmodũ & scirrhum, id comitari solet, dicere nõ sum ausus, ueritus ne laudem quam antea de me excitauerã, sauciarem. Cumq; animũ induxissem, tutò me aliquid eloqui oportere, aspiciens laborantẽ, Haud ita multo post, inquam, iugulũ ad infernas partes detrahi senties, nisi fortasse id iam antea tibi

D euenerit. At cũ hoc quoq; fateret̃, conuersis in laborantẽ oculis, Vna, inquã, addenda est prædictis diuinatio: etenim dicam, quam de morbo suo laborans ipse habuerit suspicionẽ. Tum Glauco, ne de hac quidẽ diuinatione desperare se aiebat. Laborans aũt incredibili hac pollicitatione in stuporem adductus, & acriter me intuens, quid essem dicturus, attenta mẽte expectabat. Igit̃ dicẽte me, quod infestantẽ morbum, pleuritidẽ esse putasset: ille ingenti cum admiratiõe, huius quoq; rei se testem exhibuit, id q̃d etiã affirmabat ex astantibus unus, qui paulò ante latus eius ex oleo fouerat. Atq; ex eo tempore Glauco, tum de me, tum de uniuersa arte q̃optimam concepit opinionem, cum antea nihil magni ab arte expectaret, utpote qui nunq; cum cõsummatis in arte uiris uersari consueuisset.

CAMPEGIVS.

Inflammato aũt iecore, cõmuniter quidem omnibus dolor oritur in dextris præcordijs, sursum penetrans ad iugulũ usq;, humerumq; partis eiusdẽ: deorsum uero ad latus usq;, quod nothum uocant: & acuta febris, & tussis arida, & sitis, & appetitus amissio, spirandiq; difficultas, et lingua primo quidẽ rubra uidet̃, post uero atra, uomuntq; bilem, & uenter astringitur: signa ferè sunt quæ pleureticis. Cum autem erysipelas cõstiterit in iecore, inflãmationes intendunt̃, & exiccant: exiccatoq; corpore marasmus insurgit. Qui simam iecoris partem inflammatã habent, nauseant & uomunt, appetitum amittũt, & inflãmationes intendunt̃, & consternant̃ anima interclusa, frequẽter refrigerant̃, ut hinc inter cutem morbus initiũ sumat. Cum uero iecoris conuexa inflammant̃, præter ea quæ dicta sunt manifestò turgent uisu tactuq;. Si tenuior obscuriorq; fuerit, iubebimus q̃maxime respirare. Quod si in dextris precordijs dolor appareat, iecoris mediocris existimanda est inflãmatio. Sin iuxta positũ subiectorũ musculorũ spaciosus inflãmationis tumor uideat̃, nihilq; iam dictorũ affuerit, illos ipsos inflãmari intelligam⁹. Si grauitas in iecore, dolorq; sentit̃ in dextris præcordijs, citra tumorẽ ac febrim, oppilationem indicat uenarũ, qua in

parte

A parte æstuant. Inflammatione uero uersa in apostema, dolor ipsis cum tumore augetur, inexpectatiq; fiunt rigores, neq; in sinistrum latus potest languens inclinari, impensius dolente iecore. Confracto autem apostemate, aut per urinam, aut per uentrem excrementum euadit, suppurationibus refertum. Si uero in affectionem secabilem tumor deciderit, dolores cõminuuntur: tumor certe euidens cum duritie, at corpora circũ attenuant̃. Procedente porrò tempore, cognoscere difficile est, q̃d aqua intercus fieri incipiat: uniuersaq; præcordia sub humore conteguñt. Ad calidã iocinoris distemperantiam utendum refrigerantibus & confirmantibus mediocriter intestinũ. Si frigida sit distemperantia, per contraria eundum est.

De morbo regio, quem Icteritiam neoterici appellant.

HISTORIA XXXVIII



IN libro De locis affectis quinto, capite septimo, cum de auriginoso siue regio morbo fieret sermo, infit Galenus: Quidam acuta biliosaq; febre laborans, die septimo uniuersa flaua bile ad cutem transmissa, à morbo liberatus est, mansitq; sequentibus deinde diebus auriginosus. Itaq; & excrementa, & urinas considerauimus. Vtrisq; uero secundũ naturam se habentibus, atq; ob eam causam nullum uisceris affectum declarantibus, uenit in mentem, fieri posse, quod translata in cutem bilis crassior esset: qua ratione promotus, discere uolui, qualis nam esset sudor. Illo autem apparente aquoso, conieci bilem esse, dissipari contumacem. Præcepi itaq; laborãti, ut aqua suapte natura calida, & cui discutiendi uis esset uteretur, ac præterea uictum adhiberet humidiorẽ, qui humorũ crassitudinem moderate posset extenuare. Hic autem bonam ualetudinem cõsecutus est, B unico auxilio, & notitia cõfirmata, & curatione absoluta. Quinetiã alterum multam in strigili bilem relinquere uidimus: unde eam plurimam in uniuerso corpore procreari perpendẽtes, ipsum adhibita idonea curatione sanauimus. Quibus uero citra febrim morbus regius accidit, urgente in dextra præcordiorum parte grauitatis cuiusdam sensu, ijs omnibus aperiens, ut scitis, obstructiones, & cibis & potibus & medicamentis extenuãtibus, deinde medicamentũ quod bilem ducere posset exhibens, eorum plurimos una die sanitati restituimus.

CAMPEGIVS.

Ictericus, dicitur qui patitur icterum: qui morbus diuersis nominibus appellat̃. Dicitur autem à Plinio, Varrone, Horatio & Sereno, morbus regius: & quare sic dicatur reddit Samonicus Serenus rationem, duobus uersibus:

Regius est uero signatus nomine morbus,
Molliter hic quoniam celsa curatur in aula.

Aliter hic morbus à Celso aurigo appellat̃, & homo auriginosus, qui patitur. Dicitur & arquatus, à colore cœlestis arcus, ut dicit Nonius. Et ut dicit Acron super Artem Horatij, quidam dæmoniacum, nonnulli comitialem, alij arquatum uocant. Et IuuenalisIctericon, Satyra sexta:

Cõsulit Ictericæ lento de funere matris.

Et dicitur ab ictero aue, de qua Plinius lib. xxx. naturalis historiæ, cap. iij. Auis, inquit, icterus uocatur à colore: quæ si spectet̃, sanari id malum tradunt, & auem mori: hãc puto latine uocari albulam. Hæc ille. De hoc morbo Hippocrates ait: Si post septimũ diẽ febricitante ægro supuenerit, tutũ esse. Diocles ex toto, si post febrẽ oritur, etiam prodesse: si post hunc febris, occidere. Asclepiades aquam quoq; salsam, & quidem per biduum purgationis causa, bibere cogebat, ijs quæ urinam mouent reiectis. Est aũt icteros, autore Paulo Aegineta, morbus, cum per totum corpus bilis

C suffunditur, quæ interdum nigra, interdum flaua est. Potionandi sunt arquati apij, uel adianti, uel lapatij, uel serpylli trita decoctiõe, aut absinthiũ potui ingerere. Prodest autem multũ raphani succus cum uini potus cyatho, & succus cichorij cyathorum duorum uel trium mensura per se, uel cum uino.

De affectibus uesicæ. HISTORIA XXXIX



SEXTO De membris dolentibus, capite iiij. cum de uesicę affectibus sermo fieret, inquit Galenus: Cuidã cum cecidisset, spina sinuata est: quapropter urinã reddere nõ potuit: nam & id aliquando fieri solet, quemadmodum ab Hippocrate dictum est. Verum non illico suppressa fuit urina, sed perendie, ob afflictarũ uertebrarũ ad interna luxationẽ inflammata uesica. Itaq; dolebat in ea parte uel nemine tangente: sed multo magis, si quis eum manu tangeret: atq; hũc curauimus, inflãmationi remedia adhibẽtes. *Exemplum secundum.* Rursus alter, luxatis ad externas partes uertebris, urinã inuitus profudit, nullo infestante uesicam dolore. In hoc cõiecimus eius musculi neruum, qui uesicam claudit, fuisse affectũ: proinde spinam curare uoluimus. *Tertium.* Atq; in alio similiter affecto, suppressa fuit urina, torpẽte ob affectos neruos uesicæ sensu. Cum itaq; inter dormiendũ non sentiret homo uesicã impleri, ipsa extensa, nihil excernere potuit: etenim accidit interdũ, ut hoc modo urina supprimat̃, quemadmodũ etiam sanis quibusdam, aut urgentibus negocijs, uel in cõcionibus, uel senatu, uel foro, uel conuiuio: Tum enim retenta longo tempore urina, extenditur uesica, atq; urina supprimit̃, contractrice facultate læsa, propter immoderatã tensionẽ. *Quartum.* Quidam etiã cũ cecidisset, manente spina illæsa, in primis quidẽ magnã sanguinis copiã cũ urina emisit, postea uero omnino suppressa est urina. Cuius rei causam esse coniecimus, quod cõcreti sanguinis grumus intus se opposuit: D quocirca demissa per colem fistula, paulum urinę reddidit: extracta deinde fistula, apparuit in ipsius ore grumi indiciũ. Preterea cum alios quosdã, diuturni dolores unà cum abscessuũ notis infestassent, finitis abscessibus, tenue pus cum urina profluere uisum est: deinde subsequens urinę retentio, cõiecturę occasionẽ dedit, quod à crasso pure meatus obstrueret̃. *Quintum.* Atq; in pueris etiam, quos lapis in uesica cruciabat, uidimus sæpenumero urinã retineri. Eos itaq; resupino figurato corpore concussimus, ut ita à meatu lapis dimoueret̃. *Sextum.* Vidimus insuper ubi uesicæ meatũ grumus obstruxerat, eadem sequi accidentia. Grumum uero adesse cõiecimus, hoc argumento, quod plurimũ antea cruorẽ laborãtes cũ urina reddidissent. Itaq; medicamentũ quod lapidẽ terere posset ex oxymelle, atq; ipsum quoque oxymel per se in potu dedimus. At nihilominꝰ alij quidẽ perierũt, uno quodã seruato, solutis grumis quos paulò post cum urina excreuit. Igitur cũ multi creberrime pus cum urina emitterent, præteritorũ accidentium memoria, & sedem affectã nobis ostendit, & dispositionem in ipso consistentẽ declarauit. *Septimum.* Quidã etiã cum prius in regione renũ sæpenumero doleret, accedente inordinato horrore & exigua cõcussione, febre correptus est. Alius circa uesicę positũ, simul cum horrore ac febre dolores pręsensit. Nonnulli circa septum transuersum & thoracem: atq; alij in dextra præcordiorũ parte. Coniecturã itaq; fecimus in ijs omnibus, quod pus per renes expurgaretur, uomica scilicet in loco dolente erupta.

CAMPEGIVS.

Vomicæ sunt tumores in corpore purulenti, à uomẽdo dicti, de quibus Serenꝰ:

Sunt odio quos dira uomit natura tumores,
Vomica qualis erit.

Galenus uero pulmonis uomicam per urinam, thoracis autem per intestina & aluum expurgari uidit. Quãquam in primis ex pulmone per renes transitus, nullam reuera dubitationem excitare debet. Etenim ut à concaua uena, ita ex magna quoque arteria, rami descendunt ad renes. Si à superioribus intestinis quippiam defert̃,

A id ciborum excrementis perinde admixtum uidetur, ac si cum ipsis subactũ fuisset. Si uero ab humilioribus, cum una ipsorum parte excernitur. Simili modo urina, aut tota à pure cum ipsa emisso cõturbatur, aut per partes quasdam dispersum pus inæqualiter desertur. Plerunq; etiam solum pus, sine urina excernitur, idq; haud obscure in uesica suppurationẽ consistere indicat. Quod uero exacte cõmixtum est, à supernis alicunde partibus uenit. Sed quod mediam inter hæc conditionem seruauerit, id à renibus descendisse certum est. Similiter si erupta uomica, appareat aliquid, quod simul et hulcus, & affectum locum portendat. Cum urina expurgantur gibbæ hepatis partes, atq; omnes quotquot sunt his superiores: Per aluũ uero pars iocinoris resima, intestina, uentriculus lienis. Pręter hęc sunt quoq; nonnulla quę, licet raro, per aluum expurgantur, ut partes thoracis atq; pulmonis, atq; per urinam purgãtur interdum partes quæ extra septum transuersum constitutę sunt. Proinde nihil mirum, inſit Galenus, neq; impossibile est, & ex partibus septo transuerso superioribus pus in uentrem defluere, & ex his quæ eidem supponuntur, ipsum per renes in uesicam peruenire. Nam corporum raros habitus, par est ut rara etiam accidentia sequantur.

De suffocatione uuluæ, alijsq; uteri affectibus. HISTORIA XL


LIBRO sexto De locis affectis, capite quinto, cum de uteri affectibus fieret sermo, sic scripsit Galenus: Quidam uxoris mortem lugens, & à concubitu, quo antea creberrime fuerat usus, abstinens, cibi cupiditatẽ amisit, atq; ne exiguum quidem cibum cõcoquere potuit. Vbi uero seipsum cogendo plus cibi ingerebat, protinus ad uomitum excitabatur. Mœstus etiam apparebat, non solum has ob causas, sed etiam, ut melancholici solent, citra manifestã B occasionem: uerum hic q̃celerrime liberatus est. Hæc ergo consideranti mihi apud meipsum, uisum est longe maiorẽ ex retento semine, quàm menstruis, corporis noxam euenire posse, præsertim in his qui suapte natura uitiosis abundãt humoribus, & pleni sunt, atq; in ocio educati, quiq; cum antea nihil ad libidinẽ reliqui fecissent, affatim continere cœperunt.

CAMPEGIVS.

Diogenis Cynici exemplum relinquimus, & utinam Galenus Diogenem nõ legisset. Nesciebat Galenus quod neq; fornicarij, neq; idolis seruientes, neq; adulteri, de quibus loquitur ad Hebræos Doctor gentium Paulus: Fornicatores & adulteros iudicabit deus. neq; molles, id est mares muliebria facientes, ut Diogenes: neque masculorum concubitores, de quibus dicitur Genesis xiij. Homines Sodomitæ pessimi erant et peccatores coram domino nimis. neq; ebriosi, neq; maledici, neque rapaces, regnum dei possidebunt. Dicitur enim Esaiæ xxxv. Via sancta uocabit: nõ transibit per eam pollutus. Et Apocaly. xxi. Non intrabit in illam aliquid coinquinatum, faciens abominationẽ. Cap. ult. Et prosequitur Galenus dicens: Cogitanti itaq; mihi aliquando super hac re, tale quoddam accidens apparuit in muliere ex longo iam tempore uidua, quæ præter cætera mala, neruorum quoq; molestijs uexabat: ac dicente obstetrice, uterum esse retractum, remedijs ad huiusmodi affectus consuetis uti decreuit: quibus adhibitis, partim ob ipsorum calorẽ, partim etiam quod inter curandum manibus tractarentur partes muliebres, oborta titillatione cum labore, & uoluptate, ueluti per coitum usu uenire solet, excreuit crassum, plurimumq; semen, atq; ita à molestia sua liberata est mulier.

CAMPEGIVS. O exemplũ informe, proteruũ, & perniciosum. Nescis Galene, quod neque molles, neque Sodomitæ, regnum dei possidebunt? Accipe igitur candidissime Lector, hoc nostræ militiæ documentũ, & more sapien-

C tum disce in pace ita dimicare, ut cum bellum ingruerit, non frangaris. Nam finis rectitudo non sufficit, nisi modus quęrendi sit licitus. Licita sunt quę lege cōceduntur. Conceduntur autem quæ nō prohibentur. Omne quod peccatū est, prohibitū est, & omne quod prohibitū, peccatum. Propterea tu Galene ut mulierē cures, muliebria membra manu tractare nō licet: nec ut pituitā cures, fornicari licet. Nec audiendus es, qui ob corporis sanationē peccatum inducis. Quæ enim dementia est, ut corpus mundes, animā inquinare? Id simile est, ut ferrum serues, aurū amittere: & ne uestē amittas, corpus occidere. Sanitatē ergo fine proposito, quem ratio cōsulet, quærere licitum, imò & debitum: finem uero appetitus respicere, turpe & inhonestū. Nos autem quibus propositum est nunquā à catholica puritate discedere, talia floccipendimus, eligentes nos magis semper ægrotare, quàm cum saluatoris cōtumelia sanos esse: quapropter de his uti libitū cuiq; fuerit opinetur. His igitur quę lex & ratio damnant prætermissis, sic de corporis sanitate curandum est, ut quicquid ad corporis sanitatē referatur, à salute animæ sumatur exordium. Quod si morbus incurabilis inueniatur, uirū sapientē æquo animo ferre decebit morbū tanq; à deo missum, qui nunq; percutit nisi ut sanet, qui nos castigat, ut meliores reddat.

Quod corporis partes, natura, sine doctore, sui muneris admoneantur, deq; naturali industria hœdi. HISTORIA XLI



SEXTO De locis affectis libro, capite sexto, cū de Priapismo & Gonorrhœa mentio fieret, Galenus inquit: Natura corporis partes fingens, perficiensq; fecit, ut ipsæ citra doctrinam, proprias actiones aggrederentur. Cuius rei exactissimū aliquando fecimus periculum, hœdum alendo: sed
D ita alendo, ut matrem quæ ipsum in utero gestauerat, nunquam uidisset. Cum enim grauidas capras dissecarē, dissectorum quæstionibus, quibus fœtus in utero formationem speculantur promotus, inueni elegantem quendam hœdum: quem à matre absolutum, ita pro meo more abstuli, ut ipsam haudquaquā uideret: atq; in domum quandam ubi multæ pelues erant, deposui: quarum aliæ uini, aliæ olei, aliæ mellis, aliæ lactis, aut alterius cuiuspiam humoris erant plenæ: aderantq; fructus nō pauci, tum cereales, tum ab arboribus decerpti. Hunc itaq; hœdum cōspeximus, in primis quidem pedibus incedentē: perinde ac si audiuisset, sibi incessus gratia crura fuisse concessa. Deinde excussit quam à matre contraxerat humiditatem: postea pede latus scalpere, ac deinde singula uasa olfacere, uidimus. Percepto itaq; singulorū odore, lac tandem absorbuit: quibus uisis omnes exclamauimus, Hippocratem uere dixisse, animalium naturas esse indoctas. Sic ergo hœdum hunc educando, nō solum lac, sed multa insuper alia quę fortè offerebantur, comesse uidimus. At quia nō longe aberat uernale æquinoctiū, cum eriperetur hœdus à matre, exactis duobus deinde mensibus, tenellos ei tunc fruticum, tum aliarum plantarum ramulos obtuli: quorum omnium cum experiretur odorem, alios quidem contempsit, alios uero gustauit: atq; sic ad adultarū caprarū cibos conuersus est. Sed hoc fortasse nō adeò magnum uidetur: at longe maiori admiratione dignū est, quod posteaquam & folia, & teneros ramusculos deuorauerat, paulò post ruminare cœpit. Quod rursus omnes quotquot aderant uidentes, exclamauerunt, stupidi ob naturales animaliū facultates. Quamuis enim magnum uidebatur, quod impellente fame, per os atq; dentes cibum assumeret, multo tamen uehementius admirati sumus, quod cibum in uentriculo iam contentum, in primis quidem ad os subleuando reduceret, deinde multo tempore mandendo tereret, postremo rursus ipsum deuoraret: idque non in eundem, sed in alium uentriculum. Vulgares autem huiusmodi naturæ munera despiciunt, nihil nisi peregrina spectacula admirantes.

A Igitur non mirum esse debet genitales partes, eas actiones quarum gratia à natura institutę sunt, protinus ab initio cognoscere. Etenim quamobrē uterus, cum semen genitale conceperit, donec perfectus fuerit fœtus, exacte clausus permanet: perfecto uero fœtu plurimū aperitur, ac deinde sic apertus, fœtum excludit. Populares autem hæc propter crebrum euentum, & contemnunt & despiciunt, utpote qui nihil quod re uera sit admirabile, sed ea duntaxat quæ raro uident, admirari consueuerunt. Quid autem in rerum natura potest esse admirabilius? nouem perpetuis mensibus clauditur os uteri, adeò exacte, ut ne specilli quidē acumen admittat: perfecto autem fœtu, usqueadeò distenditur, ut totum animal per ipsum egredi possit. Non igitur dubites, pudendorum facultatem per se doctam esse, ut fistulosum hoc neruosumq; corpus ubi ad coitum insurgit animal, à naturali facultate quæ ipsum attollere potest, protinus distendatur. Cuius rei simile & in corde & arteria, planè uidere est, nisi quod horum motus perpetuus est, eo quod necessaria sit nobis eorum actio: fistulosus uero neruus non semper, sed cum usus requirit.

CAMPEGIVS.

Natura, pro ui ponitur: unde animalium, arborum, atque herbarū naturas dicimus. Et pro more. Verg. Nunc age naturas apibus quas Iuppiter ipse Addidit, expediam. Naturale dicit̄, quod solitam naturę seriem (ut de hędo exemplū dedit Galenus) seruat: Innaturale, quod nō. Natura est quę nasci omnia facit: hanc quidē esse deum dixerunt, à quo omnia creata sunt. Item natura est quæ unicuiq; rei formam dat specifica differentia. Secundū uero philosophos: Natura est motus principium secundū se, & nō per accidens: quoniā uniuersa copora propriū habent motū per se: ut ignis per se sursum fert̄, terra deorsum: & nō per accidens, quoniā id non B naturale, sed artificiale dicitur. Cor enim si in alia quapiā parte poneret̄, nihilomin9 actionē suam obtineret. Nec aliter de iocinore quoq;, liene, ac reliquis omnibus sentiendū est. Etenim uniuersi corporis arterias, eandem habere actionē probabile est: quippe eodem tempore omnes totius animalis arterię, inter sese similiter producuntur. Itaq; haudquaq; par esse uidetur, ut arteriæ pudendis innatæ, aliam aliquam habeant facultatē, præter eam quę uniuersi corporis ratione ipsis debet̄: quamuis cæteris arterijs ampliora sint ipsis ora: & quidē optimo iure, ob celeritatem sequelæ ad id quod euacuatur sic præparata. Semper enim natura uidetur unicuique actioni id quod utile est, undiquaq; expleuisse.

Naturale. *Innaturale.* *Natura.*

De coitus pręter morem abstinentia. HISTORIA XLII



LIBRO eodem & capite, inquit Galenus: Porrò accidit cuidam, ut lōgo tempore præter consuetudinē, à cōcubitu abstineret: alteri uero ut mali succi alimētis acribusq; utereť: alij etiā ut duobus mensibus præcinctus peregre proficisceret̄, cum antea nunq; cingi cōsueuisset. Coniecimus itaq; arteriarū ora nimis patefacta, illis quidem ob humorum uitia & acrimoniā, his uero ob flatuosum spiritum, & sine ordine & uiolenter uacuatum. Etenim medicamenta excitandæ tentiginis uim obtinentia, tum epota, tum etiam femini, græci perineon dicunt, lumbisq; adhibita, calida omnino atque flatuosa sunt: quemadmodum contraria omnia, uentositatem non excitant, & infrigidant potius quàm calefaciant. Fuit mihi, inquit, amicus quidam, cui præter eam quam antea habuerat consuetudinem, omninò à concubitu abstinenti, adeo rigidus tumidusq; factus est penis, ut mihi accidens ipsum declarare cogeretur. Miror, inquit, quod huic (athletam indicans) ob continentiam rugosus collapsusq; penis euaserit: mihi uero ex quo continentiam seruare studui, euenerit contrarium. Tum equidem illi consului, ut collectum iam genitale semen excerneret, postea uero & à narrationibus, & spectaculis, & meditationibus libidinem suscitare potentibus, summopere caueret.

Lib. 6. de locis affectis. cap. 6.

Exemplum secundum.

C At cantores & athletæ, qui iam inde ab initio nullam uitæ partem uenereis illecebris cõtaminauerunt, nullã admittentes huiusmodi, uel cogitationẽ, uel imaginationem, ijs pudenda & exilia & rugosa fieri consueuerunt. Nam præter ea, quę accidere solent ijs, qui protinus à prima iuuentute, immodicę libidini sese permiserunt, id etiam euenit, ut horum locorum uasa amplius patentia, maiorem ad se sanguinis copiam alliciant, & coëundi cupiditas magis increscat, ea uidelicet ratione, quam in cæteris quoque facultatibus uidere est, & quæ à Platone etiam notata est, cum inquit: Ignauia quidem exoluit, proprij aũt officij exercitatio robur augere solet.

CAMPEGIVS.

Coitus immodicus. Coitus si paulum uires excesserit, subitò exhaurit spiritus, labefactat stomachũ, atque præcordia, cerebrumq; debilitat. Quo malo nihil ingenio aduersius esse potest. Tantumq; obest, ut Auicenna in libro de animalibus dixerit: Si quid spermatis supra quàm natura toleret coitu profluat, obesse magis, quàm si quadragies tantundem sanguinis emanarit: ut nõ iniuria prisci Musas atque Mineruam uirgines esse uoluerint. Democritus Venerem damnauit, in qua homo exiliret ex homine. Fidelibus igitur innuptis & extra matrimonij leges, non licet huiusmodi perpetrare. Nos autem, quibus propositum est, nunquã à catholica puritate discedere, coitũ extra matrimonij leges floccipendimus, eligentes nos magis semper ægrotare, quàm cum Saluatoris contumelia saluos esse. Quapropter dicebat Apostolus ad Corinthios scribens: Qui nõ sese continet, nubat. Et ad Timotheũ: Volo autem iuniores nubere, & filios procreare.

D LIBRI PRIMI FINIS.

IN CLAVDII GALENI PERGAMENI
HISTORIALES CAMPOS, D. SYMPHORIANI CAMPEGII, EQVITIS AVRATI ET MEDICI CLARISSIMI, COMMENTARIORVM LIBER SECVNDVS.

De luto sigillato, quod in codicibus Galeni dicitur Terra sigillata. HISTORIA PRIMA.



ALENVS libro nono simplicium memorat se Sphragidis noscendæ causa nauigasse in insulam Lemnon: qua in re secutus est uestigia magnorum philosophorũ, qui discendi causa lustrabant orbem terrarũ, penitissimasq; atq; ignotissimas gentes penetrabant: sicut temporibus priscis Pythagoras, Empedocles, Democritus & Plato ad prophetas, diuinæ philosophiæ discendę gratia nauigauere, peregrinationibus susceptis: quam reuer*Cap. 8.* ſi prędicauerunt, atq; in arcanis habuerunt, ut testis est diuus Ambrosius in libro de Noë & archa. Galenus ergo cum esset, ut nemo non nouit, eruditissimus ac polyhistor, id est multiscius, rerumq; maxime ad medicinam pertinentium peculiariter curiosus, meritò constituit Lemnon inuisere, ut quod didicerat ex mutis, ut aiunt, magistris, id præsens uideret, contemplareturq; sphragida, hoc est rubricam Lemniam

sigillatam

A sigillatam, cuius in medicina mirabiles sunt effectus. Quapropter inquit Galenus: Ego autem cum & apud Dioscoridem & alios quosdam scriptũ legissem, Lemniæ terræ hircinũ misceri sanguinem, atq; ex luto quod ea mistione conficiebatur, sacerdotem Lemnias sphragidas tum cõformare, tum cõsignare: cupiebam profectò & ipse mistionis modum inspicere atq; symmetriam. Itaq; quemadmodũ in Cyprũ nauigaueram, uidendorũ quæ in ea sunt metallorũ gratia, & in cauam Syriam Palæstinę partem profectus fueram, bituminis & aliorũ quorundam inspiciendorũ causa, ita nec in Lemnum enauigare piguit, ut quãtum sanguinis terræ admisceretur, conspicerem. Nam cum iterũ Romam pedestri peterem itinere per Thraciam & Macedoniam, prius à Troade Alexandræa in Lemnum adnauigaui, nactus illic nauem quæ ad Thessalonicã cursum destinabat. Cõueniebam autem cum nauclero, ut in cursu Lemno appelleret. Et sanè ille præstitit, sed nõ ad eam ciuitatẽ ad quam oportebat. Antea enim nesciuerã duas esse in insula ciuitates, sed credebam, ut Samus, Chius, Cωs, Andrus, Tenus, & omnes adeò quę in Aegęo sunt mari, unam duntaxat ciuitatem habent toti insulæ cognominem, ita & Lemnũ nominis sui unam habere ciuitatẽ. Porrò ut ex naui descenderam, intellexi ciuitati nomen esse Myrinæ: nec in regione ciuitatis illius aut Philoctetis templum esse, aut sacrum Neptuni collem, sed in altera quæ uocaret Hephestias: nec ciuitatem eam Myrinæ esse propinquam. Cumq; me nauclerus expectare non posset, distuli, ut cum Roma in Asiam redirem, tunc Hephestiada uiserem: id quod feci, prout sperauerã et proposueram. Nam ubi ex Italia in Macedoniã traiecissem, eamq; penè totã pedestri itinere pertransijssem, perueníssemq; Philippos, quæ ciuitas est finitima Thraciæ, inde ad mare descendi quod proximũ aberat centum uiginti stadijs: primumq; Thason trans-

B misi, distantem plus minus ducentis stadijs: atque illinc in Lemnũ septingentis, ac rursum fermè septingentis in Alexãdræam Troada traieci. Ac proinde sanè ex industria tum de nauigatione, tum de stadijs adscripsi, ut si quem eadem quę me caperet Hephestiada uisendi cupiditas, cognito eius situ, sic nauigationem institueret. In tota nanq; insula Lemno orientem spectat Hephestias, occidentem uero Myrina. Et quod à poëta dictũ de Vulcano est, qui græcè dicitur Hephestus, Decidit in Lemnum, propter collis naturam occasionem sumpsisse fabulæ crediderim. Apparet enim combusto simillimus tum colore ipso, tum etiam quia nihil in eo nascitur. In hunc itaq; collem sacerdos quo tempore ego ad insulam accesseram, egressa, certo quodam tritici hordeiq; numero in terram coniecto, alijsq; quibusdam pro religione patriæ perpetratis, plaustrum totum terra impleuit. Atq; ubi in urbem cõuexisset, quo dixi modo, illas fama hominũ adeò celebratas Lemnias sphragidas præparabat. Visum ergo mihi erat percontari, nunquid unquam antea hircinum sanguinem huic misceri solitum, memoriæ proditum accepisset. Quo audito omnes in risum soluti sunt, nec ij sanè quiuis ex uulgo, sed uiri oppidò quàm eruditi cũ in alijs, tum præcipue in uniuersa patriæ historia. Quin & librum accepi quondam ab incolarum quopiam conscriptũ, qui omnem Lemniæ terræ usum edocebat. Quamobrem nec me quoq; piguit huius medicamenti periculum facere, acceptis sphragidũ uiginti milibus. Sed & is à quo librum dono accepi, inter principes habitus, ad multa hoc utebatur medicamine. Siquidem ad uulnera tum uetera, tum cicatrici inducendæ cõtumacia: ad hæc ad morsus uiperæ, atq; adeò omnes ferarũ morsus, necnõ aduersus medicamẽta letalia nõ antè modò exhibere, sed & pòst sphragide uti consueuerat. Addebat porrò sese periculum fecisse medicamenti, quod quia fructũ iuniperi accipit, διὰ τῶν ἀρκευθίδων nuncupatur, cui utiq; indebat & terra Lemnia: uomitumq; ciere aiebat, si quis cum etiamnum in uentre letale uenenum hæreret, alexiterium siue amuletum ebibisset. Et sanè nos quoque huius fecimus periculum in

Lib. 9. simplicium, cap. 2.

C lepore marino, & cantharidibus, cum sese tale quippiam accepisse homines suspica-
rentur: uerum hausto quod Lemniam sphragida habebat medicamento, protinus
omne euomuerunt, nec postea ullum illis accidit symptoma eorum quæ ad leporẽ
& cantharides comitari consueuerunt, tametsi conuicta esset perniciosorum medi-
caminum exhibitio. Cæterum an ad alia mortifera medicamẽta, hæc inquam quæ
uocant deleteria, eandem uim habeat medicamentũ quod ex fructu iuniperi & ter
ra Lemnia conficitur, mihi utiq; ignotum est: at ille ab Hephestiade profectò assere-
bat, adeò ut & rabientis canis morsum eam sanare diceret in uino diluto epotam, at
hulceri ex aceto impense acri impositam. Sed & aliarum ferarum ictus ex aceto sa-
nare referebat, extrinsecus folijs insuper impositis, quæ putredini resistere didici-
mus. In primis uero prædicabat Scordium, deinde Centaurium exile, inde Marru-
bium. Porrò si quando nos sanè ad hulcera cacoëthe & putrida terrã Lemniam ad-
hibuimus, magnifice profuit. Vsus autem est pro prauitatis hulceris magnitudine.
Quippe id quod grauiter olet, impendioq; laxum molleq; est, ac sordidum, sustinet
ut uel per acerrimum acetum Lemnia terra in lutosam soluatur cõsistentiam, alio-
rum more pastillorum, quorum alius alio utitur: dico autem Polyidæ, & Prasiωnis,
& Andronis, & qui nunc dictus est, quem Betinum uocãt. Siquidem hi omnes ua-
lenter desiccantes prosunt hulceribus cõtumacibus, soluti interim quidem in uino
dulci, interim sapa, interim œnomelite, nonnũquam etiam alborum quopiam aut
fuluorum, aut flauorũ, prout nimirum usus postulat. Nam de talibus alibi definie-
tur. Similiter uero quandoq; soluuntur aut ex aceto, aut uino, aut aqua, aut oyxme
lite, aut oxycrato, aut melicrato. Porrò Lemnia terra ex aliquo comprehensorũ so-
luta, medicamen fit idoneum tum recentibus glutinandis uulneribus, tum meden
D dis inueteratis, ægre ad cicatricem uenientibus, & cõtumacibus. Similiter autem &
alia quęuis terra, pharmacωdes siue medicamentosa. Necesse enim erit distinguere,
sicuti suprà, ab elementari terra, in qua & lapides comprehendebantur, eam quę in
lutum soluitur: sic nunc ab ea quæ colitur, medicamentosam: nihilo enim deterius
erit ita eam cognominasse qua ad curationes utimur: tametsi eius quoq; quæ coli-
tur, si qua pinguis est, commoda est ad curationem earum omnium partiũ quæ de-
siccari poscunt: unde sanè ea & Alexandriæ & per Aegyptum utuntur multi sua
utiq; sponte ac iudicio, multi uero etiã moniti somnijs. Vidi enim Alexãdriæ quos-
dam aqua inter cutem laborantes ac lienosos Aegyptiæ terræ luto utentes, qui sibi
suras, femora, cubitos, brachia, tergum, latera, pectusq; inungerent, ac perspicuò iu
uarentur. Eundem in modũ & ueteres phlegmonas, & laxa œdemata adiuuat lu-
tum hoc. Noui siquidem quosdã, qui ex immodica per hæmorrhoides euacuatio-
ne turgentes effecti ac tumidi, non obscuri fuere adiuti. Sed & quidam diutinos fi-
xosq; parte quapiam dolores perpessi, luto hoc planè persanati sunt: desiccãdi nan-
que uim terra quæuis possidet. Quoniam uero corpus eius natura siccũ est, & quia
prosum igneæ substantiæ mistionis est expers, ita desiccat, ut minime sit mordax: ad
quod tamen etiam proficit si lauetur.

CAMPEGIVS.

Scito esse quãdam speciem rubri, quam terram Lemniam uocant, colore minio
proximam, quæ in insula Lemno nascebatur, unde & nomen multis antiquis cele-
brata, ut inquit Plinius libro trigesimoquinto: uenundabatur hæc non nisi signata,
unde & sphragidem appellauere, siue sigillum, siue signaculũ. Hinc interpres Aui-
cennæ, lutum sigillatum: interpres Galeni, terram sigillatam, parum feliciter uerte-
runt. Cur autem dicat Plinius signatam hanc rubricam Lemniam uenundari soli-
tam, nõ erit ab re id fusius explicare, ut tribus pariter scriptoribus, Galeno, Auicen
næ, Plinioq; una opera opem feram, & tenebricosis locis lumen infundã. In insula
Lemno

A Lemno sacerdos Dianę rubricam terram ex antro quodā effossam, reuerenter post peracta sacrificia deportat in urbē: eamq; aqua admixta pinguem ac lutosam efficiens, ubi est diligenter concinnata signo Dianæ sacro obsignat, & mox ita uenundatur. Dioscorides refert in quinto, terram Lemniam misceri cum sanguine caprino, eamq; signari imagine capræ, & ob id sphragida uocari: quod Galenus ut expertus refellit ac deridet.

De bolo armeno, de lapide gagate, ac diphrige. HISTORIA II



LIBRO nono simplicium apud Galenum sic scriptum reperitur: In hac magna peste, cuius eadem facies fuit atq; eius quæ Thucydidis memoria grassabatur, quotquot hoc medicamen bibere, celeriter curati sunt. At quibus non profuit, omnes interiere, scilicet cum nec alio quouis iuuarentur. Vnde colligitur, quod ijs duntaxat non fuerit auxilio, qui plane erant incurabiles. Bibitur autem ex uino albo, consistentia tenui, modice diluto, si aut plane febri careat, aut leuiter ea teneatur: sin grauius febriat, admodum aqueo. Nō tamen calore uehementes sunt febres pestilentiales. Porrò de hulceribus resiccare postulantibus, quid attinet dicere quantam uim habeat bolus hæc armenica? Liberum est autem utcunq; appellare uelis, siue lapidem, ut is qui mihi donauit: siue terram, ut ego: quandoquidem humidis rigari patitur. Confert maxime dysentericis, necnon fluxibus uentris, sputo sanguinis, catarrhis, & putrescentibus oris hulceribus in primis competit. Quinetiam eos magnifice iuuat, quibus ex capite in thoracem fluxio decumbit: quamobrem illis quibus ex tali occasione assidue difficilis est anhelitus, ualide prodest. Est & alius lapis colore atro, qui ubi igni admotus fuerit, persimilem bitumini odorem exhibet: quem Dioscorides nōnulliq; alij in Lycia B inueniri prodiderunt, ad fluuium nomine Gagaten, unde & ipsi lapidi nomenclaturam inditam dicunt. Ego tamen eum fluuium nō uidi, tametsi parua nauicula totius Lyciæ littora legerim, quò uidelicet quæ in ea sunt inspicerem. Crustaceos uero lapides, & qui in ignem additi exilem flammam ederent, complures ex Cœle Syria asportaui, natos in colle mari mortuo, quod uocant, circundato, qua orientē spectat, ut & bitumen est: eratq; lapidū odor similis bitumini. Vtebarq; eis ad tumores in genu diuturnos, & ægre curabiles, mistis uidelicet facultatibus quæ ad hoc symptoma probatæ fuerant. Planeq; uisum est mihi euidentiorem earum facultatē reddidisse. Miscui uero ipsum & Barbaro quam uocant: & palàm medicamentum effectum est exiccantius, adeò ut & sinus contraheret, nedum cruenta uulnera glutinaret, ad quæ competere maxime creditur. Diphriges mistam habet tum qualitatem, tum facultatē. Habet enim in sese quiddam & mediocriter adstringens, & mediocriter acre: quamobrem hulcerum rebellium optimū medicamen est. Conuexi autem & huius medicamenti uim ingentem ex Cypro Solis, ubi metallum ab urbe abest quasi triginta stadijs. Proiectum enim erat in medio spacio ædium quæ ante metallum extructæ erant, & uici qui ei subiacet. Cæterum præfectus ac procurator metalli, id quod post cadmiam reperiretur, esse dicebat inutile, itaq; abijci nō secus atq; ustorum in foco lignorum cinerem. Verum hoc mihi multo utilissimū factum est medicamentum, tum ad putrescentia oris hulcera, siue per se, siue cum melle cui detracta sit spuma: tum ad anginam, uidelicet ubi iam per adstringentiū medicaminum auxiliū cōstitit quod influebat. Preterea columellam ubi præsecuissem, ipso solo & statim, & usq; ad cicatricē sum usus, ac frequenter exacte occlusam effecit cicatricem tum huius particulæ, tum omnium adeò exhulceratorum. Sic in hulceribus omnibus pudendorū, atq; ani. Vsus autem similis est ut in oris hulceribus: siquidem eæ partes eisdē ferè medicamentis gaudent, nimirū calidæ similiter ac humidæ.

Lib. 9. simplicium.

Lib. eodem.

C

CAMPEGIVS.

Paulus Aegineta autor grauissimus, spondet, Galeni autoritate motus, rubricã armenicã potam drach. una summopere in peste prodesse, & hyeme theriacam pari modo ex uiperis cõpositam. Qua ratione Galenus usus est maxima in pestilẽtia, quæ omnibus bibẽtibus qui curabiles erant, salutaris fuit. Sed eò peruenit audacia, & non solum priora immutarunt, sed etiã aliquid addiderunt. Miror tamen de bolo armeno, quòd cum Galenus dicat citrinũ, ille uero quo utimur rubrũ appareat.

De saliua hominis, de lapide uesicæ & stercore humano, canino, lupino & gallinaceo. HISTORIA TERTIA.



DECIMO simpliciũ, capite decimo, ita scripsit Galenus: Tota substantia uel maxime aduersa est saliua bestijs hominem interficientibus, ceu alicubi etiam Nicander poëta refert. Pollicitus autem mihi quidã incantationem sese ostensurum, quæ scorpios interficeret: ubi illam semel dixisset, in scorpium expuit, inde rursum eam obmurmurans iterum scorpium conspuit: ac ubi tertio dixisset, atq; expuisset, mortuus est scorpius. At postea ego absque incantatione à sola saliua occisum uidi scorpium, idq; celeriter à saliua esurientium, aut sitientium: tarde autem ab illis qui cibo potuq; fuerant impleti: in alijs autem proportione. Nascit etiam lapis in uesica, de quo scripsere quidã quod lapides uesicæ cõminuat. Atq; hoc quidem falsum est experientia iudicatum. Cæterum an renum lapides frangat, omnino experti nõ sumus, cum suppeterent alia ad hoc symptoma probata medicamina. Sed disseram nunc de stercore canino, quo uti assidue cõsueuit præceptorum nostrorum quidam, sola ossa cani edenda exhibens duobus continuò diebus, ex quibus durũ candidũ ac minime fœtens stercus proueniebat. Hoc igitur acceptũ desiccabat, ut cum postea usus esset, facile ad leuorẽ posset redigi. Vtebatur eo ad anginã, & dysenteriam, et summe inueterata hulcera. Ad anginã quidẽ, ijs admiscens quæ alioqui huic affectui cõgruebant. Ad dysenteriã, lacti illi immiscens, cui decocto calculos uocatos κάχληκας ignitos inijci antè posuimus: aut ut ego postea ob parabilitatẽ ad ferrum cõfugi, id candens lacti probe decocto inijciẽs. Cæterũ medicus ille stercus caninũ lacti, in quo extincti erant calculi marini, clàm inijciebat, & id solũ generosissimos quosq; discipulos docebat. In his ergo duobus multũ expertus sum stercus caninũ, ceu medicamentũ mirabile, sicut & in hulceribus extreme malignis. Cæterũ humani stercoris hoc habeo experimentum. Assidue quidã à phlegmonis ad guttur existentibus uexabat, adeò uehementer ut suffocationis subiret periculũ, & sanè ob hoc periculũ sanguinem mittere cogebatur. In hunc cum fortè quis incidisset, pollicitus est se præbiturũ medicamenti experimentũ, & se uocari si quando rursus aliqua in parte gutturis emicuisset phlegmone, ante sanguinis missionẽ præcepit, Itaq; uocatus, medicamento illito statim hominẽ curauit. Vt autẽ iterũ profecit, nõ in ipso tantum, sed & in alijs qui similiter erant affecti, rogabat is qui assidue periclitabat, data mercede ut se medicamentum illud doceret. Erat eñ ille & locuples, & in pecuniæ sumptu liberalis. Porrò ubi conuentũ esset de precio, is qui uendebat: Hoc medicamentũ, inquit, per antipathian quandã utilitatẽ obtinet. Esse autẽ eam antipathian, ut qui curat nesciat unde conficiatur. Iussit itaq; alium daret qui pro ipso disceret, quiq; iureiurãdo reciperet, sese nulli eius facturũ copiã, priusq; ipse qui dedisset, foret defunctus. Itaq; à morte eius qui indicarat, nõ tantũ ille suum hominem, sed & alios sanabat, & mihi ne petenti quidem medicamenti exemplum uolens ac lubens obtulit. Erat autẽ stercus pueri siccũ cũ melle Attico ad leuorẽ tritũ. Victitabat aũt puer, cuius stercus accepturus erat, uti ipse qui medicamẽtum dederat ostendit, lupinis, illis uidelicet qui ex more edi solent cum pane bene cocto in clibano, modicũ salem & fermentum habente,

D

Præbebat

A Præbebat autem bibendũ uinum uetus: atq; hæc omnia in mediocri quãtitate, modò ut perfecte ea puer poſſet concoquere. Itaq; cum primo die eo uictu eſſet uſus, poſtero tamen die nondũ ſtercus capiebat, ſed in eo quoq; die rurſum eodẽ alebat uictu, ac tertio demũ ſumebat, ac poſtea areſacto utebatur, ſimiliter ut ſtercore canino. Dicebat autem illum qui docuerat, fugitantẽ alios cibos ob fœtorem, prætuliſſe lupinos: ſeſe uero, experimẽti gratia, carnes gallinaceas aut perdicũ ex aqua, aut tenui iure bene coctas perſępe exhibuiſſe, & medicamentũ nihilo minus operatũ. At lupinũ ſtercus quidã colicis potandũ dabat, nõ tantũ in ipſis paroxyſmis, ſed etiã in interuallis, ſi quidem phlegmone uacarent. Quorum ego quoſdam uidi nõ amplius inuadi: & qui erant inuaſi, non amplius id grauiter paſſos, ſed nec poſt paucũ tẽporis. Accipiebat aũt ille albidius potius ſtercus, quale ubi oſſa ederint ſolent excernere. Verũ illud etiã in eo mirabar, quod uel ſuſpenſum euidenter aliquoties iuuiſſet. Itaq; hic ſtercus capiebat quod nõ decidiſſet in terram. Vt plurimũ autem ex uino albo conſiſtentiæ tenuis bibendum præbebat, interim uero etiam ex aqua. Porrò cum cõſpexiſſem illum in Myſia medicũ gallinaceo utentẽ ſtercore in eis qui ab eſu fungorũ ſuffocabant̃, & ipſe quoq; ſum uſus in quibuſdã urbem inhabitãtibus, qui & ipſi fungos eſitarãt, ipſum uidelicet ad leuorẽ contritũ tribus quatuor ue oxycrati aut oxymelitis inſpergẽs cyathis, & palàm adiuti ſunt, idq; celeriter. Nam qui pręfocabant̃ paulò poſt uomebant pituitoſum humorem omnino craſſiſſimũ, & exinde planè liberati ſunt ſimptomate. Eſt autem hoc ſtercus columbino minus calidum. Cæterũ Myſius ille medicus dabat etiam bibendum ſtercus gallinaceum ijs qui diutino coli dolore fuiſſent uexati, ex œnomelite: ſi hoc non aderat, ex aceto aut uino aqua diluto.

B De proprietate echidnarũ & uiperarum in cura elephantiaſi, id eſt cancri uniuerſalis, quem corrupto uocabulo lepram Arabes nominauerunt. HISTORIA IIII



APVD Galenum in libro xi. de ſimplici medicina, primo capite, ſic ſcriptũ uulgò legitur: Viperarũ carnes palàm uidere eſt excalfacientes & deſiccantes, ubi condiuntur ceu anguillæ, nempe oleo, ſale, anetho, porro, & aqua, ſeruato nimirum modo. Quod autẽ totum corpus per cutem euacuent, diſcere tibi liceat uel ex ijs quæ ego iuuenis etiamnũ in Aſia noſtra ſum expertus: quæ ſingulatim deinceps narrabo. Homo quidã morbo quem elephanta cognominant, laborans, aliquouſq; cum ſodalibus cõuerſabatur, donec ex ipſius conſuetudine cõuerſationeq; quidã noſtrûm morbi inficerentur cõtagione, & ille iam odoratu grauis, ac fœdus redderetur aſpectu. Cõſtructo igitur illi tugurio proximè uicum in iugo collis propter fontem, illic hominẽ collocant, tantũ illi quotidie ciborum ferentes, quod uitæ ſuſtinendæ ſatis foret. Cæterũ ad Canis exortũ, cum fortè meſſoribus haud procul inde metentibus uinũ eſſet allatũ in fictili ſanè q̃ fragrans: is quidẽ qui attulerat, depoſito illo prope meſſores, abijt: uerũ ubi eius bibendi aduenіſſet tẽpus, ſublato fictili adoleſcens, ut pro more impleto cratere, cõpetente aqua uinum temperaret, in cratera uinũ effundit, & unà excidit uipera mortua. Qua re attoniti meſſores, ueriti ne quod, ſi ebibiſſent, inde ſibi malũ eueniret, ſuam quidem ſitim aquę potione ſedare maluerũt: cæterum cum illinc diſcederent, præ humanitate uidelicet ac miſericordia homini illi elephanti obnoxio uinũ largiuntur, rati expedire illi potius mori, quàm uiuere in ea miſeria. At ille ubi bibiſſet, admirandum in modum ſanitati reſtitutus eſt. Nam tuberoſum illud omne cutis totius nõ aliter q̃ animaliũ à teſtis mollitie nuncupatorũ malacoſtracωn, tegmen decidit. Quod autẽ reliquum erat, molle admodũ apparuit, inſtar cutis cancrorũ & locuſtarũ (carabos Græci uocant) ubi extima teſta fuerit detracta. Alterũ quoq; eiuſmodi nõ diſſi *Exemplum ſecundum.*

C mili casu in Mysia Asiæ, nõ procul ab urbe nostra accidit. Vir quidã elephanto laborans profectus est ad aquarũ sponte nascentiũ usum, sperans inde nõnihil se cõmodi adepturũ. Erat illi scortum mancipiũ, iuuencula sanè formosa, cõpluribus amatoribus ambita. Profectis igitur illis, in ædibus, quibus uicinus erat locus squalidus, & uiperarũ plenus, forte fortuna ex illis una in urceũ uini incidit negligentius positũ: extinctaq; est. Ac scortũ quidẽ in lucro id reputãs quod fors euenisset, hero id uini propinat, atq; ille ebibit: cæterũ exinde ad eum modũ quo ille qui degebat in tugurio, persanatus est.

Tertium. Porrò tertiũ quoq; annectã quod ex nostra profectũ est imitatione. Cũ quidã hoc morbo ęgrotaret, animo magis q̃ uulgus philosophico, & contemptore mortis, oppidò q̃ grauiter ferebat, satiusq; dicebat mortem semel perpeti, q̃ uitam uiuere tam miserabilẽ. Itaq; illi quæ superioribus duobus accidissent indico. Erat autem ipse auguriorũ peritus, & amico utebatur mirifice hanc disciplinam tractante. Itaq; ubi ad auguriũ cum illo cõsedisset, persuasus est, ut quę per experientiam essent cognita, ipse imitaretur; atq; epoto uino quod sic erat ueneno infectum, leprosus factus est: ac postea lepram eius nos cõsuetis remedijs sanauimus.

Quartum. Quartus pręterea uiuas capere uiperas arte instituit. Sed illius in illo morbi tantum erant principia: itaq; cura studiũq; nobis fuit, ut illum quãcelerrime sanitati redderemus: quocirca misso sanguine, atraq; bile medicamento detracta, uiperis quas capiebat uti iussimus, præparatis in olla anguillarũ in modũ. Atq; hic ita sanatus est, euaporato per cutem affectu.

Quintum. Postremo & alius uir quidã opulentus, nõ nostras ille quidẽ, sed ex media Thracia, Pergamum aduenit, admonitus somnio: ubi iubente deo per insomniũ, ut quotidie medicamentũ biberet, quod confectum est ex uiperis, forisq; corpus inungeret, nõ multos post dies morbus in lepram abijt, rursumq; & hoc pathos quibus deus pręcipiebat medicamentis curatũ est. D Sanè uiperarũ caro adeò ingentẽ obtinet desiccandi facultatẽ, ut quidã qui eam edêre, uehementissima cruciati sint siti: ac proinde illas dipsadas cognominant. Sunt autẽ qui dicant demorsos à uiperis satiari nõ posse potãdo, sed dirumpi citius, q̃ siti liberari. Quocirca eos qui Romæ uiperas uenantur, quos Marsos nuncupant, percõtatus sum, ecquid haberent signi quo genus utrunq; uiperarum discernerent. At illi prorsum negabant ullum esse genus uiperarũ dipsadum, uerum eas quæ iuxta mare atq; in locis degunt salsedinem multam habentibus, carnem obtinere salsam: ac proinde in Libya taliũ ingentem esse prouentum: in Italia uero propter regionis humiditatẽ non inueniri.

CAMPEGIVS.

Interpres Galeni pro echidnis uiperas posuit, unde & theriace nũcupata: Sic ẽm & scribendũ & pronunciandũ est, theresq; non tyri legendũ.

Theriaca. Est autẽ theriace nobile illud ac celebratũ medicamentũ ex eo dicta, quod medetur morsibus uiperarũ, auxiliaturq; cõtra uenena bestiarũ, uel quod ex carnibus uiperarũ cõficitur. Quod & ipse Galenus euidenter ostendit, docens theriaces cõpositionem. Siquidem à capite & à cauda uiperæ quaterni digiti amputantˊ, membrana detrahitˊ, & unà cum adipe intestina quoq; eximuntur, reliquũ corpus in aqua dulci cum sale & anetho coquitur, mox pane similaginis purgatissime cõmixto in umbra seruantur, fiuntq; trochisci medico effectu ad plura malorũ genera mirabiles. Estq; hoc pharmacũ, ut Gręci uocitãt, auxiliorũ saluberrimũ malorumq; discussiuũ. Plin. uero nec id omisit.

Cap. 4 Quid ẽm ab illo omissum est? qui, q̃s Galenus cęteriq; medici trochiscos uocãt, ipse pastillos appellat. Cuius uerba ex libro undetrigesimo subijciã, quę sunt hæc: Fiunt & ex uipera pastilli, qui theriaci uocantur, quaternis digitis utrinq; amputatis, exemptisq; interaneis & liuore spinæ adhærente, reliquo corpore in patina ex aqua & anetho discocto, spinisq; exemptis, & addita similagine, atque sic in umbra siccatis pastillis, quibus ad multa medicamenta utuntur. Idem alibi tradit quosdam uiperis

peris

A peris uti in cibis, quas quatuor digitorũ mensura utrinq; præcisa, exemptisq; interaneis discoquunt in aqua aut oleo, sale & anetho. Antonius Musa Augusti Cæsaris medicus, cũ incidissent insanabilia hulcera uiperas edendas dabat, miraq; celeritate persanabat. Tyrus, quatenus loquimur de animali, nec græca nec latina dictio est, uerum generali uocabulo fera nominatur. *Tyrus.*

Quod cancri, morsibus rabidorũ canum remedio sint. HISTORIA V



ALENVS libro xi. capite xxvij. de simplici medicina ita scribit: Cinis autem fluuiatilium cancrorũ similiter prædictis exiccatorius est, substãtiæ tamen proprietate mirabilis est eius in ijs qui à rabiente cane sunt morsi, effectus, isq; tum solius, tum cum gentiana & thure multò præstantior. Thuris sanè partem esse unam oportet, quinque autem gentianæ, porrò cancrorum decem. Et raro equidem aliter illis ustis nos sumus usi, cæterũ ad eum modũ plerunq;, quo Aeschrion Empiricus ille, medicamentorũ peritissimus senex, conciuis ac preceptor meus. Patella erat æris rubri, in quam impositis cancris uiuentibus, eos hactenus ussit, dum facile ad leuorẽ redigi possent. Hic Aeschrion paratũ semper in ædibus hoc habebat medicamen, urens eos post ortum Canis, quando Sol in Leonem transisset, nõ nisi Luna decimaoctaua. Porrò bibendũ hoc medicamen ijs qui à cane rabido fuissent morsi præbebat quotidie diebus quadraginta, mẽsura cochlearij magni aquæ inspersum. At si nõ protinus ab initio, uerum aliquot post dies curã cepisset demorsi, tunc quotidie duo coclearia aquæ inspergebat. Ad ipsum uero uulnus emplasticum applicabat medicamentũ, quod ex pice brutia & opopanace acetoq; conficitur, habens picis libram unam, unũ aceti acerrimi sextariũ Italicũ, *Aeschrion Empiricus peritissimus, & Galeni præceptor.*

B opopanacis uero uncias tres. Hæc tametsi à præsenti instituto essent aliena, scribenda tamen censui, quia magnopere medicamento huic ipse cõfiderem: nimirũ cum nullus unquam eorum qui illo fuerunt usi, sit mortuus. Cæterũ seorsum librũ conscribam aliquando de ijs quæ proprietate substantiæ totius quid agunt, è quorũ numero sunt id genus omnia. Ignoscendum itaque tum hoc in loco scribendi importunitati, tum sicuti præterea id mihi hoc in opere contigit: nempe quia ex ijs summa proueniret utilitas, quam sanè posteris impertire uolebam, si forsan me prius quàm quæ his deinceps sunt opera perfecissem, mors occupasset, propositum impediens. Cæterũ Pelops doctor meus & ipse omnium eiusmodi causas reddere uolens, non abs re inquit, cancer cum animal sit aquaticũ, prodest à cane rabido morsis, quibus uidelicet metus est ne corripiantur affectu siccissimo, nempe rabie: quamobrem sanè etiam aquam metuunt. Ac fluuiatiles, nõ marinos cõuenire cancros dictitabat, scilicet quod animalia marina ob admistionem salis natura siccissimi haud æque exactam tuerent eam quæ est aduersus rabiem contrarietatem. Ac cum quidã subiecisset, cur non omnia quæ in potabili aqua degunt animalia, perinde ut cancri iuuare assolent? quia, inquit, similem cancris præparationem non admittunt. Nam horum ustorum cinerem, exiccatorius cum sit, canum rabientiũ uenenũ absumere simulq; digerere professus uidelicet est, ambitione magna iactitans, omniũ se talium nouisse causas. At ego nisi planè me scire quippiã persuasum habeam, alijs persuadere non tento. Itaq; nec Pelopis rationem ut ueram accepi, ut quæ crebras habeat contradictiones: uerum cancros opinor ex proprietate totius substantiæ prodesse. Quoniam autem nullum eorum qui fuerãt illis usi, mortuũ scieuram, hæc aperienda recensendaq; à me existimaui.

CAMPEGIVS.

Cancri petrosa amant, brachia bina denticulatis forcipibus sortiti, quibus ori cibos quoscunque cœperint admouent. In pauore retrorsum mira celeritate decurrunt. Veris initio senectutẽ, anguiũ more, exuunt, renouatione tergorũ: ac plenilu

C nio ut ostrea implent. Brachia uero in piscibus quibusdā modo citros, modo acceta bula ab accipiēdo uocamus. Cancri humorē quendā salsum habent: minor tamen testaceam habentibus tunicā est: cohibent uentrem, quod inter coquendum depo nant humorē salsum. At fluuiales iuuant aduersum pulmonis plagas, offenduntq́ uesicam. Tradūt quidam insignes medici, quod si fluuiales cancri in oleo coquant, id oleum instillatum dolentibus auribus ex caliditate, mirifice iuuare. Potus quoq; ex ipsis contritis, aduersum omne uenenum prodest, & morsum uirulentum. Perhibent etiam tostos abscessus corporis omnes impositos mollire, & è corpore spicula & aculeos omnes excutere.

De lacte caprino. HISTORIA VI

LIBRO quinto de tuenda sanitate apud Galenum sic scriptum est: Nouimus senem quendam agricolam, qui amplius q̃ centum annos ruri uitam egerat. Huic plurimū nutrimenti caprinū lac erat, quod aliâs cū mica panis, in eo macerata, statim sumpsit: aliâs mel immiscuit, aliâs coxit, etiam thymi cacumina unà cum pane inijciens. Hunc quidā imitatus, uidelicet tam longæ uitæ causam ratus in lacte subesse, perpetuò lædebatur, quocunq; id modo sumpsisset. Nam primū illi grauabatur os uentris, mox tendebantur in dextro præcordia. Alius quoq; simili modo cū lacte uti cœpisset, de reliquis nihil est questus: quippe qui & probe id cōcoxit, nec acidum aut fumidum ructum ex eo sensit, nec flatum aut grauitatē in præcordijs: septimo tamen quàm sumpserat die, iecur se sentire manifeste grauatū dixit: quippe uideri sibi quiddam in dextris præcordijs ceu lapidem iacere, sic ut & deorsum traherentur quæ suprà essent, & tensio ad iugulum usq; ptingeret. Cōstat itaq; huic obstructū iecur fuisse, illi flatu intumuisse. Quinetiam noui, cui ex diuturno lactis usu, calculus in renibus est natus: sicuti aliū quendam, qui omnes dentes amisit, læsitq;. Id uero alijs quoq; multis contigit ex diutino lactis usu. Alij rursus citra noxam lacte perpetuò sunt usi, imò etiam cum maximo fructu, ueluti agricola, quem supra centum annos uixisse diximus. Vbi enim nec qualitas lactis utentis naturæ quicquā est aduersa, & uiscerum transitus faciles propter uenarum amplitudinem sunt: qui ita sunt affecti, hi commodis lactis fruuntur, omnis eius incommodi expertes. Porrò commoda lactis, iam alijs ante me medicis dicta sunt, nempe uentris moderata deiectio, succi bonitas & nutritio, pascuis quoque ipsis animalium, quorum lacte utendum est, non parum ad hæc cōferentibus. Quanquam sunt, qui pascuorū rationem planè pro nihilo habeant, quasi nihil parum ue ad lactis bonitatem conferant. Cæterū haud dubie uidemus animaliū quorum usuri lacte sumus, si scammonia, aut marinarum lactucarum quapiam uescantur, in lacte quoq; laxandi uires inesse. Ex quo patet, quod ex uitioso pascuo, acre, acutum, & austerum reddetur, naturam uidelicet herbarum imitatum. Itaq; etiam qui ante nos medici fuerunt, ipso rei usu docti, quædā pascua utiq; quæ lacti essent inepta, ἀγάλακτα dixerūt (ita enim Græci appellant) de quibus ipsi quoq; alibi tractauimus. Nunc hactenus saltem de his intellexisse abunde est, animalium quorum ueluti optimi succi lacte sis usurus, neq; acria, neq; acuta, neq; admodum austera debere esse nutrimenta. Illud uero uel me tacente cōstare arbitror, animal ipsum & florente ætate esse, & corporis habitu planè inculpato debere. Satiusq́ fuerit alterum capram, alterum asinam esse, earumq́ lacte uicibus uti: quippe asinæ lac, tenue serosumq́ est: capræ mediocris substantiæ est. Itaq; hoc nutriet magis, ubi uidelicet nutritione est opus: illud omnino tutius est.

Exemplum secundum. — D — *Tertium.* — *Quartum.*

CAMPEGIVS.

Lac nihil aliud est, quàm sanguis cōcoctus. Lac ipsum græcè γάλα, unde Galopotæ lactis potatores. Eo recens coagulato utimur in cibis secūdæ mensæ. Hinc faciūt

nostri

A nostri lactarij præ cæteris lacticinijs Iuncatas, quas uocant, à iuncis in quibus inuoluuntur. Eodem lacte nutritos collacteos appellant, uulgò fratres ex lacte dicuntur. Lac ex trinis constat substantijs, Serosa, quę tenuis est, & abstergendi uim habet, & aluum subducit, si ex frigiditate discernit. Et caseali, quę crassa euadit & uentrem cohibet. Et butyrosa, quæ media est, statū & complexionem serosæ naturæ & casealis tenens: lædit obstructiones iecoris, & calculos gignit, iuuat ad tabes, & ethicas, & aridas tusses, & uenenosas potiones. Item albū conuenit oculis stillantibus, corpus humectat concoctū, bonamq; adducit habitudinē, prodest pulmoni, & thoraci: offendit uentrē pręsertim humidū, & caput: quoniā mutabilis qualitatis est: dentes & gingiuas offendit, ob hoc qui dentes imbecillos habent, os proluant mulso cū uino.

De cura corporis Antonij Pij Imperatoris Romani. HISTORIA VII



GALENVS libro sexto De regimine sanitatis, cum de diæta Romanorum fieret sermo, inquit: Antonius enim, qui Imperatorum (quos ipsi uidimus) promptissimus ad curam corporis uenit, breuissimis diebus sole occidente in palęstram ingreditur: longissimis autem hora nona, aut ad summum decima. Quare licet ijs qui illi in diurnis officijs assistūt, ubi discessere, reliquo diei tempore corporis curam agere, ita ut Sole occidente ad somnum se conuertant. Nam cum minima nox nouem horas æquinoctiales æquet, abunde ijs fuerit, si id totum tempus in somno sumpserint.

CAMPEGIVS.

Scito quotidianas exercitationes ad sanitatem plus prodesse, q̃ medicos & medicinam. Exercitatione enim, ait Fabius Quintilianus, cuncta cōualescunt: sine qua, ut inquit Galenus, impossibile est hominem sanitate prosperrima diu frui: & ut auB tor est Auicenna, ad sanitatis conseruationem plurimum potest, polletq; exercitatio. Galenus exercitationem paruæ pilæ reliquis anteponit. Commode etiam exercent, ut dicit Celsus, cursus, ambulatio, & clara lectio: qua nos propè peculiariter utimur, quotidie publicis lectionibus cōtentissime boantes. Plato & Aristoteles gymnasticam cumprimis probant, qua uires augescuit, & sanitas inoffensa custodit. *Exercitia sanitati plus quàm medici & medicina conferunt.*

De illis qui propter honoris amorem & uanam gloriā, arti, quæ sanitatis tuendæ facultatem habet, non obtemperāt. HISTORIA VIII



LIBRO eodē Artis sanatiuæ ita scribit Galenus: Sanatiua ars, eos qui obediunt ei, custodire sanos promittit: his autē qui non obediunt ei, talis hæc ars existit, ac si nequaquam esset. Nō obediūt autem huic arti, quidā quidem à uoluntate mox moti, quos incōtinentes & lasciuos uocamus: quidam uero à philotimia, id est amore honoris, qualis fuit & ille qui omnia magis sustinebat pati, quàm picari, id est pice replere continuò totum corpus, consiliantibus ei medicis hoc auxiliū propter tenuitatē suam. Fit autem hæc tenuitas quibusdam quidem in ea quæ secundum totum corpus discrasia, secūdum eam quæ ad siccum & frigidum est superabundantiam.

CAMPEGIVS.

Aeger parêre medico debet, & in nullo ꝓprię indulgere uoluptati. Ministri etiā idonei assideāt oportet, & ut exteriora omnia adsint apparata. Nam propter illa plerunq; uel præcognitionē uel curationē interrumpi cōtingit. Porrò exteriora inaudiuntur, domiciliū, & quæ in eo uersanť, tum iucūda uoluptuariaq;, tum etiam sæua & aspera, & item quę internunciantur, quæ iram suggerunt, aut clementiā suadent, quibus æger obirascitur, mœret, & demum innumerabilia quæ somnū noctu rumpunt & territant. Si igitur, inquit Cous Hippocrates, hæc omnia bene & recte se habuerint, nihil eorum quæ dicta sunt falsum esse inuenietur. *Quæ exteriora dicantur.*

C

De his quæ Venerem compeſcunt.

HISTORIA IX


IPSE Galenus in eodem ſexto ſanatiuæ artis, inquit: Quidam dixit mihi, mordax & calidum ualde ſemen ſentiri ſecundũ excreationem ſeminis, nõ ſolum in ſe, ſed in mulieribus quibus iungebatᷣ. Huic igitur ego cõſului, ut abſtineret à cibarijs generantibus ſemen: ſumeret uero nõ ſolum cibaria, ſed & pharmaca, quæ ſemen extinguerent. Gymnaſiarchæ cuidã conſiliũ dedi, ut athletis quibus pręerat plumbeam ſquamam lumbis ſubmitteret: ad hoc, ut non ſomniarent: & cuidam eorũ qui ita patiebatur idiotarũ illud oſtendi: & ubi fructum eius rei ſentiret, gratias mihi egit. Alius uero quidam imbecilliorem habens naturam carnis, non ſuſtinebat duritiem plumbi. Cui conſului, quaſdam earũ quæ prædictæ ſunt herbas ſubmittere ſtrato, miſcere uero eis & agni caſti ramos molles, & rutæ: ſenſitq; cõfeſtim tantam ex ipſis utilitatem, ut deinceps ſemper eiſdem uteretur. Quin & continue comedere ſemen agni caſti, iuſſi: neq; minus emolumenti inde, quàm is qui meo conſilio rutæ ſemen comederat, ſenſit.

De regimine Antiochi medici, qui erat annorum plus lxxx. & de Telepho grammatico, qui ferè centum annis uixit. HISTORIA X


APUD Galenum quinto De regimine ſanitatis ſic ſcriptum reperitur: Senes ſi breue quippiam tranſgreſſi limites ſint, non leuiter læduntᷣ: cum iuuenes uel ex maximis erroribus minimũ noxæ ſentiant. Ergo tutius eſt imbecillo ſeni exiguum dare, ter die: ſicut Antiochus medicus ſolitus eſt ſe cibare. Iam quidẽ annos natus plus quàm octoginta, ac quotidie ad forũ pro-
D grediens in eum locum, ubi concilium ciuium conuenerat: Interim etiam longa uia ad ægros inuiſendos pergens: Cæterum domo in forum, quaſi trium ſtadiorum ſpacium, pedibus confecit. Quo etiam modo infirmos, ſi quos propè habebat, inuiſit. Longius uero ſi quô erat eundum, partim geſtatus in ſella, partim uehiculo uehebatur. Erat autem ei domi domuncula quædam, quæ hyeme calebat camino, æſtate citra ignem, bene attemperatũ aërem habebat. In hac manè omnino fricabatur, tam æſtate quàm hyeme, utiq; deiecta prius aluo. In foro autem, loco aliquo circiter horam diei tertiam, uel ad ſummũ quartam, ſumpſit panem cum Attico melle, plerunq; cocto, rarius crudo. Poſtea partim cum alijs commentans, partim ipſe ſolus aliquid legens, ad ſextam uſq; horam perſeuerabat: Ab hac tum in publico balneo fricabatur, tum uero exercitabatur, aptis ſcilicet ſeni exercitationibus: de quarum forma paulò poſt agemus. Mox lotus, prandebat mediocriter: primum his ſumptis quæ aluum deijciunt: poſt hæc, maxime piſcibus, uel quos ſaxatiles uocant, uel qui in alto mari degunt. Rurſus in cœna, à piſcium eſu abſtinuit, ſed boni ſucci aliquid, ac quod non facile putreſceret ſumpſit, utique aut far cum mulſo, aut auem ex iure ſimplici. Atq; hac quidem uictus ratione, Antiochus in ſenio uſus, ſenſibus illæſis membriſq; omnibus integris ad extremum durauit.

Telephus autem grammaticus, prouectiore quàm Antiochus ætate fuit, ut qui centum ferè annos uixerit. Is uero hyeme, bis menſe lauabatur: æſtate quater, medijs harum temporibus ter. Quibus uero diebus non lauabatur, his circa tertiã horam unctus eſt, cum exigua frictione. Mox mel optimum crudum, alicæ in aqua coctæ permixtũ eſitabat: eoq; ſolo contentus pro ientaculo fuit. Prandebat ſeptima hora, aut paulò citius: primum oleribus ſumptis, deinde piſcibus guſtatis aut auibus: ueſpere autem tantũ panem ex uino mixto edebat. Sanè uinum ſicuti pueris eſt alieniſſimum, ita ſenibus eſt aptiſſimum.

CAMPE-

A CAMPEGIVS.

Conferunt lauacra dulcia & temperata febribus aridis, præsertim immoderate sitientibus, sub sole mora plurima, ac scabiosis exanthematis. In regimine sanitatis lauacra Gallis non conueniunt, etsi Asianis & Græcis conueniant. Sunt enim Galli ex eorum natura humidi plurimum. Sed quibus quoque alimentis utendum sit Gallis, paucis perstringemus. Solstitium hyemale. A bruma usq; ad uernũ æquinoctiũ, grauedines destillationesq; atq; humiditates in hominibus augentur. Idcirco calidiora alimenta ingerere oportet diligentius meraciusq;, atq; ab origano bibere. Numerantur usq; ad æquinoctium dies nonaginta. Aequinoctium uernum. Hoc tempore augetur in hominibus pituita, ac dulcis sanies sanguinis, ad uergiliarum usq; ortum. Quare tum succosissima, acriaq; adhibenda sunt: exercendum est corpus, & Venus tum innocua esse creditur. Sunt uero ad uergiliarũ exortum in dies sex & quadraginta. Vergiliarũ exortus. Hoc tempus auget in hominibus bilem amaram atq; sanies amaras, ad æstiuũ usq; solstitiũ. Tum dulcia quę aluum educant adhibe, & concubitũ quoad poteris fuge. Numerãtur ad solstitium æstiuũ dies quinq; & quadraginta. Solstitium æstiuũ. Hoc tempore crescit in hominibus atra bilis, ad æquinoctiũ usq; autumnale. Igitur aqua frigida, atq; odoratis omnibus uti, ac cõcubitum fugere oportet, aut innocentius saltẽ ea quæ de ipso præscripta sunt, admittere. Sunt autẽ ad æquinoctium autumnale dies tres & nonaginta. Aequinoctiũ autumnale. Hoc tempus pituitæ abundantiã facit in hominibus, & tenues fluxiones, donec uergiliæ occidant. Itaq; fluxiones sistere, atq; acerrima & maxime succosa ingerere, ne quicq; uomere, exercitari, atq; Venerem fugere cõuenit. Sunt ad uergiliarum occasum dies sex & quadraginta. Vergiliarum occasus. Hoc tem-
B pore abundat in hominibus pituita, ad brumã usq;. Quare acerbissima quæq; tum exhibenda sunt, uinum suaue bibendum, pinguibus uti, atq; exercitari congruum est. Numerantur usque ad solstitium hyemale dies quinq; & quadraginta.

Solstitium hyemale.

Aequinoctium uernum.

Solstitium æstiuum.

Aequinoctium autumnale.

Vergiliarum occasus.

Exempla complura è uolumine Prognosticationum decerpta. HISTORIA XI



APVD Galenum in libro prognosticationũ sic scriptum reperitur: De his autem qui secundũ medicatiuam preter operabiliter curasse didicerant, patri nanq; meo fuisse iniunctũ per euidẽtia somnia me cõuersantem in philosophiã docere, & medicatiuã nõ ut præter operabilem aliquam mihi doctrinam debentem esse. Cõtingit autem & tunc secundum fortunam, ægrotasse quendam secũdum principium, ægritudine acuta, deinde iuxta suam proportionem incipiente circa quintã horam eo febrire, me enunciasse tunc apertissimam immissionem esse quartanæ periodicæ, id est circularis, cum secũdum analogiam ea quæ per quartam reditio facta fuit. Eudemus factam per me prædictionem, magis suasus est assentire mihi. Cumq; processisset qui secũdum periodum paroxysmus in magnitudinem, congregans optimos medicorum qui secundum ciuitatem, deprecatus est considerare de cura ægritudinis. Ego autem sponte remansi, uolens altercari per rationes cum eis. Approbatissimis itaq; ipsorum uisum est, ut de theriaca bibat manè in illo die in quo expectabatur is qui solet per quartam paroxysmus esse. Recedentibus autem eis, interrogabat à me, quam spem de usu ipsius pharmaci haberem. Respondi ei: quoniam non solum ei nihil proderit pharmacum, sed etiam duplicem operabitur illam quartanam. Et causam interrogante eo ob quam, sic respondi: Crudam & indigestam adhuc esse ægritudinem: pharmacum uero hoc cacochymiam indigestam & maxime in principio hyemis usq; ad conturbandum quidem potum oblatũ, non tamen digerere neq; dissipare. Sic quidẽ respondi

Hic textus portentose corruptus est.

C Eudemo. Sequenti uero die dederũt illi pharmacũ. Nõ multo post uero aliud dederunt pharmacũ. Tandem denuò interrogauit me Eudemus, quã spem haberem. Ego autẽ obseruans motũ arteriarũ eius, dixi: Nunc respondere tibi possum postq̃ uidi urinas, & pulsum tetigi. Enũciaui sibi tertiæ quartanæ debere fieri paroxysmũ quasi circa eandem horam, & discessi. Parum uero post uenerunt uisuri Eudemum Sergius & Paulus & Euparchus. Erant autem hi ferè omnes qui in Romanorum oppidis in dignitatibus & eruditionibus præpollebant. Afflictus enim Eudemus à tribus quartanis, desperatus iudicatus est à medicis existente iam media hyeme. Ego autem forte fortuna habitans prope eum, uisitabam bis in die uocantem me, et tandem remedijs adhibitis curatus est Eudemus. Dicebat enim Eudemus: Deus per Galenũ uoluit prouidere ægrotãtibus, qui cum hoc quod curat eos, eripit perfecte in die quã prędicit. Liberauit autẽ me à tribus quartanis, ad quas ex intemporanea potatione theriacæ incidi: Quando autẽ tempus fuit huius pharmaci, dans iste, ita liberauit me. Aduenit autẽ post hæc mulier ægrotans, & quæstio facta à Stoicis & Peripateticis, aggregante Boëtio: & etiam id quod feci in Iustini muliere, quam cum colliquaret absq; hoc quod uideretur aliqua particula patiens, inueni non solũ eam amare, sed etiam & quem amabat. Vnum autẽ aliquod adhuc adijciens, super quo cõfestim stupuit quidem Boëtius: audiens quidem qualiter inuentum, dicebat nõ admirari. Ad alia pertransibo. Cum enim alter ægrotaret filiorum & demũ sanaretur, redijt iterum ægritudo: demum cessauit, & post hæc rursus febriente puero, & me dicente comedere ipsum occulte, & ut dicebam inuenerunt. Tangens postea ego pulsum pueri, sine febre dixi eum esse, sed me præbere occasionis principiũ his qui me uocant diuinatorem. Subinferens autem Boëtius, & ego cum illis uocare te diuinatorem soleo, quando aliquid tale dicis. Interrogabat autem, unde coniecturauissem comestũ esse quid occultatũ. Audi & de hoc, inquam: Exagitatio quidem animæ pueri, cum neq; in iudicio deberet respondere, neq; luctari, neq; agonizare, in aliqua superabũdantia corporali magis quàm animali consistit. Audiens autem Boëtius, per deum mirari dicebat, cum talem cognitionem nullus medicorum inuenerit. Vnum tamen admirandũ, actum à me, monet nõ tacere. Boëtij nanq; uxor, uocatum fluxum muliebrem incidens: Post uero subitam euacuationẽ Boëtius omnes nos seorsim & communiter precabatur, considerare aliquem curæ modum. Ego autem remanens cum præsentibus famulis & amicis in domo seorsum, ita locutus sum: In nullo usq; nunc me in medicinalibus operibus errasse scio, ut & tu inuestigasti per te. Concede igitur, decem omnibus diebus me agere ut uolo circa uxorem tuam, & si melius se habere quolibet die tibi uidebitur, post alijs tot diebus concedes mihi agere circa eam. Si uero non uis, separabor omnino ab ea. Illo uero prompte cõcedente mihi, primo quidem hydragogopharmaco per inferiorẽ uentrem euacuaui eam: post hęc autem bibere dabam aquam in qua decocta erant asarum, & apium. Vt autem primis duobus diebus his fientibus nihil apparuit de fluxu, tertio die dedi rursus non multum, per inferiorem uentrem ducere uolens: & post hæc ungebam melle quolibet die, & fricabam corpus: Primo quidem per sindones mollissimas, deinde autem & per durissimas: & dabam ei carnes montanarum auium, & piscium petrinorũ. Vt autem per hoc diebus quindecim cura facta, nullum omnino apparuit passionis signũ, cognoscens Boëtius me plus quàm promiserim egisse, totaliter curare dispositionem illam rogabat, & dare munitiones ut ad reliquũ tempus non ægrotaret similiter. Quia uero cõpleto mense bene colorata erat certitudinaliter, ut in nullo deficeret ab habitu qui secundũ naturam, nihilq; de reumate appareret, quadringentos quidem misit mihi aureos. Auxit autem inuidiam generosorum medicorũ laudando me, & nimirum ipse paratus erat sicut &

Exempl. secundũ de muliere amore capta.

Tertiũ, de filio Boëtij.

D

Quartum, de uxore Boëtij, ex qua habuit quadringentos aureos.

Seuerus

A Seuerus nunciare ea quę secundum me, regi qui in urbe Marco Antonio, & etiam Abrilio. Leucius enim recesserat ab urbe ad Parthorũ prælium, factum ab Olegeso. Quando igitur uidi infestationem cessare, repente de urbe recessi, ut in Campaniam iturus: relinquens unum famulum custodientem ea quæ secũdum domum, cui mandaui, ut reperiens nauim in Asiam euntem aliquo die, uideat aliquẽ emptorem, & uendens ea quæ sunt in domo, egrediat̃ confestim, & nauim ascendens nauigio quidem per Siciliã ad patriã eat. Misit autẽ Leucius ad me, & fecit uenire me ad eum. Frater eius apud Romam, & faciens quæ legitima circa id iter quod contra Germanos arripiebat, iubens & me sequi eum. Benignum aũt existentem & pium ipsum, suasi ei me dimittere in Roma cum citò esset rediturus. Toto igitur tempore peregrinationis eius memorans cõsuetæ malignitatis eorũ, qui secũdum ciuitatem medicorum & philosophorũ, deliberaui abinde recedere aliâs ad alium locum ubicunq; filius eius cõmodius esset, qui à Pitholao educabatur, mandatum habente ab ipso rege Antonino uocare me ad curam pueri, si aliquãdo ægrotaret. Vltra spem autem eo morante in Germanico bello, toto hoc tempore multos libros scripsi philosophicos & medicinales, quos redeunte rege Romã, dedi amicis qui rogauerunt, credens penes eos solos existere ipsos. Quoniam si sciuissem dari indignis, neq; illis dedissem. Voco autem indignos, quicũq; praui sunt anima, & non gratia discendi aliquid legũt, sed ut aliquem possint calumniare. Inter hos igitur libros tota theoria scripta est in uno libro quẽ de prognosticatione, quę per pulsus feci alterutro filiorũ Quintiliani, ex quo theoriã disce exercitatus ab infantia in geometria & dialectica.

Sextus autẽ Antonij filius cœpit acutissime febrire, ut non posset excedere diem septimũ sine crisi. Quæ autem esset eius prognosticatio, per libros De crisibus dicitur, in quibus & quoniam rumpitur multotiens crisis, non expectans diem qui fideliter creticat, ostensum est & hoc cõtingere Sexto potente in quarto die, dixi Pitholao, quoniã annunciabo sibi quid de futuris, dixiq; ei quoniam extra septimũ diem non poterit peruenire ægritudo. Iudicabitur autem omnino uel sexto uel septimo: si sexto iudicabitur, reuertetur, dixi: Si uero septimo, certam habebit crisim. Esse autem crisim necessariò per sudorem. Vt aũt in sexto iudicata fuit, litigatiuus existens Sextus, ut posset me redarguere non fiente reuersione, balneabatur quidem quolibet die, uinum autem nõ bibebat, neq; offerebat nisi succum ptisanæ, uel ipsam per seipsam, uel cum micis panis: multoties autem & panem infundens in aqua, cõtentabatur. Hæc cum fecisset usq; ad duodecimum diem, iactauit se in eo uicisse meam prædictionẽ. Bibit autem decimotertio die, hora tertia, aquosi uini modicũ, & cum hoc totam dįetam ditiorem modicũ anteriori fecit, adhuc tamen tenuem. Sed in sequenti die quartodecimo existente, à primo accubitu incipiens febrire, iussit ut nullus id mihi significet, æstimans neq; fortem debere esse febrem, neq; ad plus quàm per diem protendi. Vt autem semper magis fiebat uehemens procedẽte die, Claudius Seuerus rediens ad suam domum, prope eam quæ illius existentem, cum audiuit eum febrire, iuit ad ipsum, & uidens eum uehementer febrire, primo quidem eum interrogabat, quam mentem ego haberem de principio factæ ei febris. Audiuit autem ab eo ueritatem, quoniam propter conuersationem iussit non enunciari aliquid mihi, dixitq; Claudio me ad uisitationem ducere ipsius Sexti, & post hæc secum assumere me. Quibus factis interrogabat, quid mihi uidebat̃ de reditu ægritudinis. Respõdi igitur ei, ut & Sexto ante prędixerã, quod scilicet post tres dies soluetur hęc inuasio sufficienter, calida febre fiente in eis, deinde iudicata in septimodecimo à primo die. Sextus itaq; gratanter audiens citò solui ægritudinẽ, prompte credidit. Quod enim quis uult palàm, id autẽ prompte credit quod fiet. Claudius Seuerus quoniam quidem non errarem de salute Sexti, credidit mihi: sed quod in illo

Quintum.

B

e

C die perfecte liberabitur ab ægritudine, non credidit mihi: difficile esse existimans, me nõ expectando saltem sequentem diem, enunciare quid certum de debentibus fieri in quarto die. Ceu autem sic habens, misit summo diluculo ad domum Sexti, dicens expectare, ut me uisitaturum se uocet, deinde mittat ad eum. Vt igitur uidi Sextum, & deinde iui ad eum, Contradicis (ait) eis, quę heri dixisti, aut permanes in eis? Me autem dicente, quod nunc magis quàm heri enuncio eadem: post prandiũ rursus uocans, interrogabat iterum, si certe credebam, debere fieri crisim ut dixeram. Audiuit autem me magis quàm heri firmum esse de his quæ dixi. Vt autem & secundo die, interrogabat me, si eandem mentem in prædictis custodirem, aut mutarem quid dictorum: audiuit quod nullum uerbum amoueo, sed habeo quod adderem dictis. Cui rursus interroganti, quid hoc esset: scias, dixi, quoniam transeunte toto xvij. die, incipiet circa secundam horam sudor necessariò. Nunquid, dixit, & hoc dixisti Pitholao? Dixisse me respondi, & eum credidisse quoniam non errarem in prædictione & cura: & omnino dixit, ergo & ipse enunciauit hoc regi. Ille dixi, ut uult faciat: mihi uero non est cura de huiusmodi gloria, nõ enim circũambulo, prædicãs meas prognosticationes & curas, ne magis medici & philosophi odiant me, diuinatorem & magum uocantes, & alia talia contra me promulgantes. Vobis autem amicis quicunqꝫ spreuistis medicinã, & desperauistis ob illorũ ruditatẽ, ostendo artem Apollinis et Asclepiadis dignam. Medicos uero hos dimitto iniuriari, sicut & philosophos philosophię, qui demum nullo idiota melius uiuentes, nominant se nomine honesto philosophiæ. Hæc quidem dixi Seuero Claudio. Vt autẽ circa septimam horam superparoxysmari Sextum nouerũt, deridentes & manifeste lętantes, omnibus obuiantibus dicebant, improperantes, quoniã mirabilis diuinatio Galeni secundum contrarium processit: nõ enim sciuerant quod prædixi Seuero & Pi-

D tholao, in uesperis esse principium crisis. Facta autem crisi serò sicut prędixi, ecũuerso cõuersi sunt omnes erubescentes: quamuis hæc prognosticatio nihil haberet mirabile, sicut ostendi in primo Epidemiarũ, & in libro De crisibus. Hęc quidem prædictio sic fuit, sicut & quæ post horum notitiam cura Commodi filij Pitholai, dum ille

Sextum. esset in peregrinatione, facta. Mirabilis uero fuit ea quæ nunc in ipso rege contingit. Extimante quidem eo & medicis quicunque fuerunt secum in peregrinatione, paroxysmũ quendam febrilem incepisse: errãtibus autem in omnibus, & in secundo & in tertio die: Sumpsit nancꝫ in primo die de eo, quod per amaram aloẽn pharmaco hora prima, demum de theriaca, ut cõsuetudo erat ei quolibet die offerre, & tunc obtulit circa horam sextam: demum balneato circa occasum solis, & modicum cibato, & superueniẽtibus tota nocte torsionibus, simul cum euacuatione quæ per inferiorẽ uentrẽ, & propterea febriente, medici qui circa eum mane uidentes ipsum quiescere iusserunt, deinde sorbitione cibauerũt hora nona. Me autem post hæc, ut ipse etiam in palatio dormirem, uenit quis uocans, iam lucernis accensis à rege missus. Vt autem manè nobis tribus uisitantibus eum, & duobus tangentibus pulsus, inuasionis principiũ esse uideretur, ego uero starem tacens, aspiciens me primum interrogabat, quare cum alij tetigerint, ego solus non tetigi. Dixi autem ei, quoniã duo hi tetigerunt, quos iam in peregrinatione eorum tecum facta cognouerint per experientiam proprietatem pulsuum, magis spero cognoscere eam, quæ dispositionem tuam. Vt autem dixi hęc, & ipse iuberet me tangere, apparente mihi multum pulsu distare ab eo, qui indicat principiũ inuasionis, enunciaui inuasionem nullam esse febris, sed conteri stomachum eius assumpto cibo, in phlegmate conuerso ante excretionem. Ipse autem laudans dignotionem, ter dixit, id quod tu dicis, est: sentio enim ut frigidiori cibo grauari. Et interrogauit, quid facere oportet: Ego autem respondi sic: Si alius aliquis esset, qui infirmaretur, darem uticꝫ ei, sicut assueui facere,

uinum

A uinum piper immittens: in uobis autem regibus quum securissimis auxilijs consue uerint uti medici, sufficit nardino pigmento calido intingẽdo lanam ponere in ore uentris. Ille uero dixit, in consuetudine esse ei, quandocunque molestatur stomachus eius, nardinum pigmentum calidum infusa in eo porfira apponere, iussitq; Pitholao hoc facere, & licentiare. Apposito igitur ei, & pedibus calefactis à fricãtibus per calidas manus, petijt uinum Sabinum, & immittens piper, bibit. Et Pitholao dicente, quoniam medicum habemus solum unum, et hunc ualde liberum: ipse decætero perseuerauit loquens semper de nobis sicut nosti & tu, quod sim medicorum primus, philosophus uero solus. Cum in cura haberem puerum quendam, qui febre calida afflictus erat. Et cum audiuisset Faustina hæc, modico tempore ibi conuersans, apprehendit me manu eius, & cõducens quendam medicum assequentiũ eam methodicum, iocose ait ei: Galenum hunc nosce, non uerbis, sed operibus uos methodicos impugnare. Multoties enim iam multos incipientiũ febrire balneauit, & dedit uinum bibere, & quosdam in primo die, quosdam autem in tertio die absoluit ad consuetas actiones, in quo omnes uos in primis duobus diebus incibari facientes, & iubentes superexcedere suspectas horas, custodiebatis iacẽtes. Et nunc, ait, artis eius firmitudo ostenditur. Cum enim regalis puer patre absente febriret in primis duobus diebus uehementer, ut & uos heri audiuistis: In tertia die hic non superexcedere, ut uos facitis, octauã horam expectãs, balneauit eum, & cibauit eum Pitholaus alumnus eius adeò diligentissimus existens circa hoc, ut etiam timiditas putaretur eius diligentia, pro eo quod præexpertus fuit de arte huiusmodi uiri, suasus est balneare, & cibare ante suspectam horam. Illa igitur talia dicebat ambulans usq; ad equitaturã. Ego autem debente ea ascendere recedens dixi, fecisti me multo magis quàm prius à medicis odiri, & separatus enarraui hæc Pitholao. Et quoniã propter huiusmodi medicos tria scripsi opera: unum quidem de differentijs febriũ, aliud uero de creticis diebus, & tertium de crisibus. Nuper autem aliud quid tale dicente me, quammultos stupere fecit prognosticatio. Dispensator enim quidam omnia dispensans recte ea quæ domini sui, & propterea in honore existens, alijs eum medicis curantibus, iudicatus fuit septimo die per sudorem: sequenti uero die deficientẽ ei pulsum inuenientes, dispositionem aliquam in corpore occultare æstimauerunt. Deinde de domo egressi simul cum domino illius adolescentis, & à casu obuiantes mihi, quid significet illud quod in pulsu præter rationem factum est, postulabant discere. Ego autem audiens propè esse domum in qua iacebat, ingressus sum cum eis, ut tangerem pulsus adolescentis: secũdum ipsam enim sensitiuam dispositionem non pauci falluntur, putantes pulsum magnum eum qui magnus non est, sicut & citum quandoque eum qui non est citus, uel tardum qui nõ est tardus. Similiter in debilium, & uehementium, durorum & mollium pulsuum dignotione falluntur: & maxime omnium adhuc inordinatorũ, & ordinatorũ, & æqualium & inæqualium in aceruatione, & secundum unam diastolem, propter quos quatuor de dignotione pulsuum feci libros. Videns igitur ego illum hominem sic habentem, consului medicis resumptiue regere eum, ceu infallaciter creticatum, dicens quod cum ambulabit iam & consueta aget, si pulsus tetigeritis eius, inuenietis deficientes ut nunc: & hæc dixi naturaliter accidisse ei, & non ex aliqua causa superueniente ægrotatiua. Tunc autem mox quod dixi ei, incredibile uisum est. In eo uero toto tempore quod deinceps unum ictum inuenientes pulsus, aliàs secũdum alium rhythmũ, tandem uenerunt ad me, rogantes audire per quod signũ cognoui naturàm adolescentis esse talem. Respondi igitur eis, quod audiui quandoq; dixisse Socratem rectorem, cuidam interroganti si in tribus annis sic & ipse studeret, posset

Septimum.

B

Octauum.

C secundum unumquodque propositorũ dicere, sicut uidebat dicentem & ipsum Socratem. Aiunt enim respondisse eum adolescenti: Te quidem optarem ut die uno posses discere quod ego didici tribus annis, sed secundum ineptitudines discentium anni multiplicantur. Scietis autem, dixi, quot præter naturam sunt in pulsibus differentiæ hunc librum legentes.

CAMPEGIVS.

In hoc lib. uel Galeni ipsius textus uitiatus est, aut omnia græca exẽplaria interpretatoris uitio corrupta sunt. De latina enim trãslatione quoniã perperã uersa est parũ syncere trahi potest. Ego uero haudquaque crediderim Galeni mentẽ ex illis libris à quoque deprehendi posse, q̃s ne ipse quidẽ autor si uiueret, esset intellecturus, adeò deprauata est illorũ librorũ series, ut ex mille uersibus uix unus Galeni mentem referre uideat. Quod nõnulli intelligentes, reiectis Galeni libris Auicennã potius imitari uoluerunt. A Galeni enim tempore complures lingua externa scripserunt, quo quidem barbarorum feritas Italiam, Galliam, & Hispaniam maxime inuasit, & magis literarum decus, quàm urbium ornamenta sustulit: ex qua nobili studiorum strage medicinæ uilitas orta est, inconstantissimaque omnium artium facta. Delere enim aliorum instituta unicuique fas erat, atque aliquid ex media, ut aiunt, barbarie rapere, gloriæ erat. Nos uero nihil immutare, nihil addere uiribus nostris, sed priscam, ac Galenicã solummodo dignitatem tueri enitimur, quæ ex fœcunda obesitate in his artibus sterili tabe penè confecta est. Inuentis itaque addere inter artium initia maxime decuit: Orpheus enim medentium primus sua placita constituit, quę mox Pythagoras sapientia clarus sustulit. Democritus deinde & Asclepiades eiusdem præcepta immutarũt. Is ætate Magni Pompeij rhetoricæ quoque magister erat. Hippocrates item medicinæ princeps, ne nominatim omnia psequi uidear, sua medendi decreta condidit, & prima omnium abdicauit: quem Galenus noster secutus est, totam ferè medicinam ac causarũ agnitionem, iudiciorumque notitiam, ad rerum qualitates, corporumque diuersas habitudines, atque gradus reuocando, nihil intentatum inexpertumque relinquentes, orbem uniuersum ita circumierunt, ut reliqui omnes inscitia impudenda damnarentur, ac publicam salutem decoquere uiderentur, si quid sine Hippocratis atque Galeni autoritate agere uellent, quæ omnia, ut diximus, turpi barbarorũ colluuie fœdarunt. Desierunt paulò ante & bellorum ruinis apud Gręcos medici, quorum iniuria in externarum gentium laudes cessit: hinc Auicennæ, Rasis, Hali Abbatis, Abinzoar, & Algazelis aliorumque autorum uolumina, in tanta rerum inopia recepta sunt: hinc attonitæ quorundam persuasiones, preciosa externa & aliena duntaxat æstimantium. Quæ item in latinum male uertendo recentiores Romanam atque Gręcam dignitatem relinquentes, confusis rerum nominibus ad ineptias redigere. Sunt & ipsis exemplaribus græca latinaque nomina, originem artis indicantia, quod anatomicis, & uenenatorũ libris, ac ijs quos de omnibus morbis membratim per humanũ corpus grassantibus scripsimus, communibusque medendi præceptis satis liquidò indicauimus. Equidẽ fateri audeo, multo plus solidæ doctrinæ biennio ex Galeni lectione latine non barbare traducta discipulum reportaturum, quàm si decem perpetuis annis Auicennæ Canonem reuoluat. Id uero facile uidere est uel in eo libro, quem de locorum affectorum notione à Gulielmo Copo Gallo Basiliensi de græca in latinam linguam traducto conscripsit. Quem (ut eius uerbis utar) si quis diligenter, sæpenumeroque perlegerit, omnes internorum morborũ notas, & multo facilius deprehendet, & tenaciori memoria seruabit, quàm si assidue inexhaustam illam signorum Auicennæ cõgeriem legendo repetat.

D

A I Ex Herodoto historiarum scriptore. HISTORIA XII


N Libro Galeni qui Introductorius medicorũ inscribitur, ita reperitur: Scribit Herodotus historiographus, quondã agris in compita expositis, illos qui eisdẽ aliquando morbis laborarant, referre solitos, quibus unusquisq; usus sanitatem recuperauerit: atq; hoc modo ex multorum usu ac experimentis, rem medicam cõflatam esse. Sed hæc quidem experientia ratione uacua, nondumq; rationalis fuit. Cæterum perfectam medicinam, & omnibus numeris absolutam, uere diuinam aio, Aesculapius solus inuenit. Illam uero quę inter homines uersatur, huius successoris Asclepiadæ posteris ueluti hæreditariò acceptam tradiderunt, maxime Hippocrates qui omnibus facile præcelluit, primoq; cõsummatam apud Græcos medicinam in lucem protulit.

CAMPEGIVS.

Asserunt Aegyptij Isidem plurium inuentricem ad morbos medicamentorum, & medicæ arti admodũ contulisse: quam immortalitate quoq; potitam gaudere hominũ cultu, inq; ualetudine pręcipue uersari. Diodorus dicit Apollinem Isidis fuisse filium, ac medendi artem à matre Iside edoctũ. Apud Phocenses & Delios clarus insignisq; admodum fuit. Qui cum medicinæ artis repertor fuisset, etiam herbarũ uirium primus indagator fuit, dicente ipso ad uirginem Daphnem, apud Ouidium libro Metamorphoseos primo:

Inuentum medicina meum est, opiferq; per orbem
Dicor, & herbarum subiecta potentia nobis.

De disputatione quam habuit Galenus Athenis contra Atheneum de quatuor elementis. HISTORIA XIII

B

IBRO primo De elementis apud Galenũ sic scriptum inuenitur: Quæ mihi acciderunt, non aliter, ita me dij ament, atq; sunt recensebo. Etiam narrationem aggredior. Cum primum, qui de his præcipiebat, conaretur me Athenæi sententiã docere, uolebam ipsum ad unguem mihi homonymiam distinguere. Neq; enim erat ignorandum, qua de re subiecta, calidum uel frigidum, aut id genus nominũ aliud enunciet. Nam cum album profero, inquam, & colorem ipsum, & corpus eum suscipiens intelligimus. Quippe interim colores, hunc cãdidum, illum nigrum, tertium rubrum, alium flauum, reliquum pallidum uocantes. Aliquãdo corpora, quæ illos recipiunt. Nam olorem candidum dicimus, itidem lac. Coruum autem & Aethiopem nigrum: sic aiebam, calidum dicentes, intelligo nunc ipsum corpus, ut, uerbi gratia, ignem, nunc solam eius qualitatẽ. Nequaquam itaq;, dicebam, cum calidum proferas, quid tandem uelis innuere, qualitatem ne duntaxat, an corpus ea præditum, satis assequor. Ille uero ad hoc sine mora respondebat, confitens se non qualitatem modò, sed totum corpus calidum appellare. Dein ubi rursus interrogarem, utrum igitur corpus illud in summo calidũ narras mihi elementum, an si mediocriter tale cõtingat, hoc quoq; erit elementum? Pari modo cum de frigido, humido, & sicco quæstionem proposuissem, Quid hoc tibi differẽtiæ cum illo habet: inquit turbatus iam ille, nec tam expedite, sicut antea, respondens: Quia, inquam, non parum refert infinitam elementorum multitudinem, uel finitam proponere. Etenim si mediocriter calidum, uel frigidum, uel siccũ, uel humidum statuas, infinita erunt elementa. Si uero in summo gradu, finita, quoniam unum cuiusq; genus erit. Quamobrem elementa in totũ quatuor finita existunt. Sic ergo, ait, quatuor quoq; intellige. Ob id iam, dixi, & summa qualitatibus, & simplicia primariaq; esse liquet. Ecquid adhuc, ait, istud curiosius inquiris? Vt inquam accurate quod dicit intelligam. At ita, subiũgit, dico, ita intellige. Quomodo me iubes intelligere, denuo quęrebam ego, in summo calidũ uel humidum elemen

C tum: Ille indignatus, animoq; cõmotus grauiter, in quo calidum, respondit, præpollet, calidum corpus nomino. Item humidũ, frigidũ, & siccũ, in quo illorum quodlibet excellit, superatq;. Hoc itaq; nomine appellare quid probibet? Etenim panis calidus, & lenticula, & ptisana, & balneum nominat. Neq; uero putarim te horum quodq; uelle me elementũ intelligere, uerum solum illud in summo calidum, similiter in summo frigidum, siccum, & humidum. Quippe simplex elementũ & syncerum esse conuenit, non cõpositum, neq; iam mixtum. Hoc modo, dixit, considera: nam ptisanam & lentem nõ dixerim elementum. Atqui, aiebam, si corpus in summo calidũ, elementũ esse deprehenderim, nihil aliud quàm ignem mente concipio. Itaque subdit, ignem intellige. Hac igitur ratione, inquam, uis me in summo gradu humidum, aquam interpretari? Cõcessit hoc facilime. Ergo ad ignem, aquam, aërem, terram, unde prius discessum erat, redimus. Tu uero, ait ille, sermonem interturbas: & simul ad alios discipulos respiciẽs, hic, inquit, inter dialecticos nutritos, & illorũ subtilitate plenus (sic enim ipse iam nominabat) omnia euertit, disturbat, & permiscet, nobis imponens, ut logicũ ipsius apparatũ ostentet. Venit itaq;, homonyma calida unum ut qualitatem nos existimans intelligere. Exempli gratia, albũ colorem: Secundum uero, corpus summa qualitate præditũ: Tertium, quod eiusmodi qualitatẽ superet, calidũ nominare, sicut balineon. At nos, ait, sophismata diluere nõ didicimus: ipse qui cõtexuit, dissoluat. Hæc sanè mihi euenerũt annum ætatis agenti decimũnonum. Plura quæ restabant silentio præterij, ne cõtrouersiam ac litem suscepisse uidear. Ego quidẽ cum rationem paulisper mecum inter alia de elementis inirem, demiratus sum uehemẽter, quonam pacto Athenæus seipsum confundere nõ percipiat. Calidum enim, frigidum, humidum, & siccum, elementa nominare conatur: Ignem, terram, aërem, aquam, dicere dedignatur. Recte meher-
D cules, ait: nam proxima animalium accipio, & non communia corporum elementa. Vocant autem proxima uelut propria, nulliusq; rei alterius.

CAMPEGIVS.

Homo ex quatuor constat elementis, nempe sanguine, & pituita, & utraq; bile, tam atra, quàm flaua: Nam sanguis aëri assimilatur, pituita aquæ, flaua bilis igni, atra bilis terræ: horũ enim singula suorũ habent elementorum qualitates. Sanguis primus inter omnes humores quatuor, qui in humano sunt corpore, calidior est & humidior, cæteros in sese commixtos humores cõtinens. Gustu porrò sanguis dulcis, pituita salsa, flaua bilis amara, atra bilis acuta. Flaua uero bilis calida & sicca est, ignisq; proprietatẽ imitatur, cum extremo calore præsertim accendit: uapore enim uniuersa perturbat, ut in perniciosa causonide conspicimus. Pituita frigida & humida est, aquæ uim possidẽs. Fons sanguinis cor est, & in ipsum spiritus per cordis partem dextram sanguis, per sinistram spiritus, flaua bilis ex iecore, atra ex splene, pituita ex cerebro. Atra bilis sicca ac frigida est, terræ naturã cõtinens. Hos humores peculiaria conceptacula continent: uenæ sanguinem, stomachus pituitam, iecoris uesica fel, lien uero atram bilem.

Sanguis. Humorũ sapor. Flaua bilis. Pituita. Atra bilis

De imprægnatione mulieris, ac ipsius testiculis. HISTORIA XIIII



GALENVS lib. primo De spermate, sub persona Hippocratis inquit: Audiamus igitur Hippocratem qualiter uidit sextanũ, ego narrabo: Mulier imprægnata Musurgo erat precio ad uiros accedens, quã non decebat cõcipere ne dehonestabilior esset. Audiuerat autẽ illa Musurgo ea quæ mulieres ad inuicem dicũt, cum mulier debet imprægnari nõ exit sperma, sed permanet: hoc cum audiuit, intellexit, & custodiuit semper, & quodãmodo sensit nõ exire germen. Dixit hoc cuidã, & sermo uenit usq; ad me, & ego audiẽs iussi ad terram salire septies: iam saliuit, & genitũ decurrit ad terram, et sonitus factus est, & illa

A illa uidens mirabaẽ: quale autem fuit, dicam. Si quis ouis corticem auferat in interiori habens genitum, & membranã. Apparet autem in anatomijs animalium membrana copulata quidem ex matricibus secundum illas partes, in quibus sunt ora uasorum, reliquo uero tota subtensa eis, non tamen unita: continuũ enim sibijpsi manens sperma tempore quo attrahitur à matrice, extenditur quidẽ & dilataẽ omnibus particulis matricis sibi desiderantibus: Ideo uero quod est uiscosum & crassum, & calidis approximat corporibus, membranatur faciliter. Habent & mulieres testiculos, & si ipsos abscindas neq; lasciuit mulier unquã, neq; adhæret masculo, gratia cõmunicationis uenereorũ, & perdunt fœmineitatem: fœmininos nanq; poros abscindũt, qui apud nos non solum in Asia, sed in superlatentibus gentibus usq; in Cappadociã: & fiunt oues similiter castratis masculis sufficiẽter bonæ & pingues, & delectabiliorem carnem habent alijs fœminis, sicut & masculi alijs masculis. Nõ tamen est similiter sine periculo ablatio testiculorum fœminæ, propter locũ in quo iacent. Hora igitur erit his qui exercent Olympia testiculos abscindere, quoniã non solum generare filios nulla cura est eis, sed etiam partem quancũq; darent gratia uictoriæ: sed nõ est tuta abscisio coabscindens cũ testiculis robur corporis uniuersum.

CAMPEGIVS.

Grauis certe mihi & peracerba luctuosissimaq; fuit Hippocratis opinio de prouocatione aborsus à Galeno nũc citata. Sed existimamus esse respondendũ, quambreuissime ac euidẽtissime fieri à nobis, ducente Deo Opt. Maximo, potuerit, eoq; magis quod senex quasi quæ minus bene dixisset corrigẽs, de hac re in suo de iureiurando contrarium dixerit, cum inquit: Testor Apollinem medicum, & Aesculapium, Hygiamq; & Panaceam, deas ac deos omnes, me, quantum in me erit, & quantum ingenium meum ualebit, hæc omnia obseruaturum, quæ hoc iureiuran-
B do, atq; his tabellis cõtinentur. Tributurum me hoc præceptori meo, à quo hanc artem edoctus sum, nõ minus q̃ parenti, à quo sum genitus, uitam cum eo cõmunicaturum, res omnes quas illi necessarios esse intelligã, pro uiribus meis ministraturũ, progeniem eius fratrũ loco habiturũ, hanc artem sine mercede & sine pactionibus edocturũ, præcepta omnia libere & fideliter traditurũ meis & præceptoris mei liberis, cęterisq; discipulis, qui se legibus scripturæ astrinxerint, atque iurati fuerint, alijs præterea nemini. In curãdis ægrotis pro uiribus & pro ingenio meo, rebus necessarijs usurum, nemini ægritudinem dilaturũ, nihil per iniuriam facturum, & cætera.

De calore pueri & iuuenis. HISTORIA XV



LIBRO secundo De cõplexionibus, capite secũdo, Galenus inquit: Cum pueros, iuuenes, adolescentes millies considerassem: præterea eundem infantem, puerum, adolescentemq; factum, nihilo calidior uisus est, nec puer quàm ætate florens, nec ætate florens q̃ puer. Sed tantum (quemadmodum dixi) in pueris magis halituosus, & multus, & suauis: in florentibus exiguus, siccus, nec similiter suauis esse caloris occursus. Siquidem puerorũ substantię, utpote humidæ, multũ foras effluit: florentiũ substantiæ parum, utpote siccæ. Itaq; neuter eorũ simpliciter uideẽ calidior. Sed alter multitudine eius, quod difflatur: alter acrimonia. Quippe insiti caloris puer plus habet, eiusq; blãdioris, si modo ex sanguine & semine ortũ habet. In florentibus ætate, exiguus & siccus, nec similiter suauis calor tangenti occurrit.

CAMPEGIVS.

Cum quatuor sint elementa, ex quibus omnia corpora sunt temperata, puerile quidẽ corpus multum in seipso cõtinet aëreæ atq; aquosæ substantiæ, minimum terrestris. Contrà uero eorum qui in ætatis uigore consistunt, à terrestri siccitate obtinentur. Deficit autem aquosa atq; aërea substantia, adeò ut si quartum in utrisq; elementũ, ignem scilicet pari portione posuerimus, atq; ęqualiter calida corpora esse

C uoluerimus, non tamen similem substantiam calidam in ipsis esse dixerimus, cum puerorum quidem substantia humida sit: eorum uero qui in ætatis uigore consistunt, sicca. Humida siquidem est maxime innati caloris affinis, quia ex humido nostra est generatio. Sicca uero aduentitij caloris est propria. Siquidem infantes recenter nati substantiam calidã aquosam plurimã participantes, plurimũ dicerentur habere calorem innatũ. Qui uero ætate uigent, & iam declinant, quantũ istæ deficiũt, terrestris uero superabundat, tantũ habere minorem substantiam natiui caloris, ut ipsi putarentur. Quod uero ex aquosa & aërea substantia plus defluere sit necessarium, q̃ terrestri, etiam si ambæ sint æqualiter calidę secundũ qualitatem, neminem arbitror dubitare. Ad qualitatẽ nomen calidi transferẽtes, conanť ostendere, hanc esse uehementiorem, his qui in ætatis uigore cõsistunt. Verũ Galenus non ad hanc scilicet qualitatem, sed ad substantiam, aliquando refert id nomen. Nam substantia innati coloris aërea est, & aquea, sicuti ex semine licet coniectari, quod paucã omnino terrenam substantiam participat, plurimũ autem aëris calidi, humidiq; in seipso cõtinet, quemadmodũ in cõmentarijs de semine Galenus ostendit. Et quidem alterum nostræ generatiõis principiũ, sanguis menstruus uidelicet, humidũ natura est. Cum igitur magis terrestre efficitur animalis corpus (tale autem quotidie efficitur, dum augetur) tunc licet ualde uehementer calidũ existat, & igneum, substantiã tamen innati caloris paucissimã habet: alioquin febricitantes diceremus plurimum habere calorem innatũ, qui nedum plus, neq; priori habent ęqualem. Bene enim temperata est caloris innati substantia: ignea autem aduentitij. Et qui caloris aduentitij sunt, his per totũ corpus effluxus fumei, fuliginosi, aridiq; & acres: Contrà suaues, et bene tẽperati, caloris natiui. Et hęc potest tactus discernere: Nam sanorũ calor uaporosus est, atq; suauis, & tactui conueniens, nihil triste, nihil asperũ, nihil mordax
D præferens. Eorum uero qui febricitant, & præcipue hecticas febres, aut eas quæ ex putredine humorum ortum habent, acris est, & insuauis, ac mordax, & nostrũ corrodens tactum. Salubris uero eius qualitas in pueris exquisita habetur: sicuti plures eorum qui in ætatis uigore consistunt inuenire cõtingit, calorem habentes mordacem, & non amplius humidum ac uaporosum neq; aëreum.

De Saulo sacerdote phlegmatico, qui omni die uomebat choleram: pariter de Andino philosopho cholerico. HISTORIA XVI

Cap. 29. ECUNDO De regimine acutorũ morborum sic scriptum apud Galenũ reperiť: Et quãdo est descensio cholerę ad inferiora, nominať cholericus in inferioribus corporis sui, quod est, quia tu iuuenis Saulum sacerdotẽ, quamuis uincens super forma corporis eius esset phlegma, uerũtamen cholera rubea clara natabat in stomacho eius omni die, ita q̃d necesse erat ei uomere ex ea in primis quantitatem non paruam, aut in balneo aut post exitum eius ab ipso. In Andino autem philosopho, quamuis inueniamus quod in eius temperatura bilis reliquos uincebat humores, ueruntamen illa bilis descendebat in eo ad inferiora intestina, & parum quidem inuenimus eum uomere choleram citrinam, & inuenimus paucitatem dominij choleræ super egestionem in Saulo secũdum multitudinem dominij eius super ipsam in Andino. Et secundo De complexionibus infit: Vidi ipse, quibusdam perquam pituitosis hominibus, multam tamen in uentriculo colligi flauam bilem: quam cum ante cibũ aqua uino ue epoto, euomere debuissent, si quid ciborum prius quàm uomerent, gustassent, & hos corrumperent, & capite dolerent: cum hos quidam natura biliosos esse crederent, quanquam essent toto corpore molles, & candidi, & glabri, & adiposi, & uenis ac musculis parum conspicuis, præterea exangues, nec tangentibus admodum calidi. Vidi & qui

bilem

A bilem nunquam uomuerunt, qui tamen & graciles, & hirsuti, & musculosi, & nigri, & uenosi fuerũt, affatimq́; calidi si quis tangeret, uidebantur. Cuiusmodi habitu Eudemus philosophus erat.

CAMPEGIVS.

Secundo libro Artis paruæ capit. lxxiiij. de eodem in hæc uerba prorupit Galenus: Alterũ uidi cuius habitus pituitã præ se ferebat, quotidie tamen bilem ruffam euomebat. Censui igitur inspicienda alui excrementa, in quibus minimũ bilis apparebat. Quare cõiectura quadam comprehendi, eum meatũ qui biliosum egurgitat humorẽ, nõ minimã eiusdem partem ad imum uentriculi locũ, quem Græci pyloron, id est ostiariũ uocant, effundere, ut in quibusdam apparet animalibus, ex quibus id cõstat, quod plurimũ ad eorũ quæ latent sensum, confert cognitionẽ, ea quæ ex sectionis inspectione habetur peritia, & operationũ atq; utilitatum inuentio.

De figura uentriculi plura continens exempla uesicæ & iecoris. HISTORIA XVII



GALENVS libro secũdo Microtechni, id est Artis paruę, inquit: Vidi enim uentriculum cuiusdam ita paruum, rotũdum, ac propensum in ilia, ut propria circũscriptio perspicue appareret spectanti & attrectanti. Nec secus uidi uesicam ita positam, ut si quando urinæ secretio cunctaretur, moles circũscripta perspicua appareret. Nulla alia pars interior, perspicuã aliquando mihi præbuit cognitionem: sed eniti uirtutẽ cognoscere prout fieri potest, ut uitium earum quanquam non firma scientia, sed artifici coniectura conueniet. Agamus de iecore, gratia exempli: Vidi nõ paucos iam habere uenas angustiores ac totum corpus decolor, qui si paulò plus accepissent cibi potissimũ inflãtis crassi & glu-
B tinosi, quasi pondus positum, ac pendens circa dextrum ilium in profundo sentiebant, aut tristem extentionem. In his igitur par est, ut iecur paruum, angustumq́ue meatibus habeatur.

CAMPEGIVS.

Ex omnibus istis perspicuum est, ut in his quæ sensu cognosci non queunt, cognitio dissectionis operationum & usus partium admodum conducat. Quicunque igitur facultatẽ dignoscendi huiuscemodi corpora, quæ ita lapsa sunt cõsequi cupit, oportet ipsum in sectionibus ac in operationũ atq; utilitatẽ inuẽtionibus exercitari.

De domo combusta in Mysia ciuitate ex stercore columbino, & de Archimenide & Medeæ medicamento. HISTORIA XVIII



APVD Galenum libro tertio, capite primo de temperamentis, sic scriptũ reperimus: Nihil autem miri est, si exiguum consecuta momentũ, aliqua maximam à priore natura mutationem habent. Cernuntur enim eiusmodi multa in his, quæ extra nos sunt. Siquidẽ in ea Mysia, quæ est Asiæ pars, domus hac aliquando ratione conflagrauit. Erat proiectum columbinum stercus, cui iam putri & excalfacto, ac uaporem ædenti, & tangentibus admodum calido, in propinquo fenestra fuerat, ita ut iam contingeret eius ligna, quæ large nuper illita resina fuerãt. Media igitur æstate, cum sol plurimus incidisset, accendit tum resinam, tum ligna. Hinc autem & fores quędam aliæ, quæ prope fuerant, & fenestrę nuper etiam resina illitæ, facile ignem conceperant, atq; ad tectum usque summiserant. Vbi autem excepta semel à tecto est flamma, celeriter in totam domũ est grassata. Hoc arbitror modo aiunt & Archimedem hostium triremes urentibus speculis incendisse. Porrò succendit his prompte, lana, stupa, elychniũ, ferula. Quicquid deniq; similiter his siccũ, rarumq; est. Flammã ædunt & lapides attriti, atq; hoc ma- *Archimedes urentibus speculis cõbußit hostium triremes.*

qua

C gis, si quis sulphure illos illeuerit. Eiusmodi erat medicamentum Medeæ. Quippe quod quibus est illitum, omnia, ubi in id incidit calor, accendit. Constat id ex sulphure, & humido bitumine. Iam illud ceu rem mirandam quidam ostentauit. Extinxit lucernam, ac rursus muro admouens, accendit. Alter lapidi eam admouit. Fuerant autem tum murus, tum lapis sulphure contacti. Quod ubi deprehensum est, desijt mirum uideri, quod ostentabatur. Ergo omnia id genus medicamina, perfecte, atque ad consummationẽ calida adhuc non sunt, aptissima tamen ut calida fiant. Atque idcirco potestate calida dicuntur.

CAMPEGIVS.

Caua specula maiorem iustò imaginẽ repræsentantia, si aduersus Solis radios teneantur, ut Archimenides faciebat, appositum fomitem accendũt. Fiunt & paruula quodammodo specula è uitro, quibus seniores præsertim utuntur, ut clarius uideant & melius, cum oculis adhibita res maiores ostendant: ocularia triuiales, literati conspicilia dixere & specilla.

De cæcis proprietatibus quas specificas siue occultas nostri uulgò appellant. HISTORIA XIX



LIBRO primo De uirtutibus naturalibus, capite decimoquarto, infit Galenus: Non ea modò quæ purgant, proprias sibi qualitates attrahere, sed etiam quæ surculos euellunt, & telorum cuspides quæ prælalte nonnunquam in carne sunt infixæ. Iam uero quæcunq; uel serpentum uenena, uel quæ telis sunt illita educunt, hęc quoq; eandem quam magnes lapis, facultatem ostendunt. Sanè ipse aliquando noui infixum iuuenis pedi surculum, qui hominis D digitos uiolenter uellentis minime sequebatur, eundem medicamento imposito celeriter & sine offensa euulsum. Quanquam contra hoc quoque quidam instant, dicentes post solutam particulæ phlegmonem ultro exire surculum, quamuis à nemine uellatur. Verum hi primum illud ignorare uidentur, quod phlegmones medicamenta diuersa sint ab ijs, quæ sic infixa eruant. Quanquam si liberatis à phlegmone particulis emitterent, quæ in ijs essent præter naturam, quæ phlegmonem soluũt, ea protinus illa trahendi uim haberent.

CAMPEGIVS.

Abdita quædam sunt, quorum causas à physicis nostris afferri non posse minus mirum est, quàm uniuersales constare in multis. Cur biliosi acrimoniam appetant, euidens ratio est. Cur hic allij odorem uel casei fugiat, difficulter percipitur. Cææ enim quorũdam proprietates sunt, naturæ duntaxat percognitæ. Hac de causa inter exempla legimus quendam summo mane catharticũ prunæ uapore tepefactũ, ægrotanti uni ex domesticis non sine magno tædio obtulisse (nares enim uis medicamenti acrius inuaserat) unde stomacho nausea correpto, corporisq; intus commotis humoribus, septies aluus soluta est: æger uero qui medicamentum hauserat securus, ter ęgre exoneratus est. Alter item febriculosus, qui siliquę Aegyptiæ (quã neoterici cassiam uocant) atramentum aliàs pati non poterat, expertus medicum admonuit, ne quid siliquæ succi sibi infesti medicamẽto permisceret. Medicus uero rem periculosam oblitus, catharticum dari iussit, cui ut in diacatolicone, siliqua eadẽ admisceri solet: quo assumpto, protinus sese siliqua misere necatũ acclamauit, qua inter medicinas nulla leuior faciliorq; habetur. Eaq; uis ad posteros quandoq; transit. Vnde in rebus surdis, quid magnete, id est heracleo siue heradio lapide admirabilius? ut ad generalia protinus transeamus: qua ui ferrũ attrahit? qua potentia ceruinum cornu nidore serpẽtes fugat? Torpedoq; frequenti apud Galenũ exemplo, qua

De cathartico è prunæ uapore exemplum.

De caßia fiistula.

Ceruinum cornu.

A qua ratione membra hominis afficit, etiam si hasta uel tridente cõtingatur? Nec modus exemplorũ est. Quis enim crederet uel scorpionũ, uel phalangiorum ictibus, totum corpus tanta ui, tam enormi imitatione affici, nisi sæpenumero id accidere uideret? præsertim minimam quandam rem feris in ipsum demittentibus. Cum itaq; phalangiũ aliquem momordit, quamuis paruũ sit animal, existimare tamen debemus, uenenum ex ipsius ore in ictum corpus descendisse. Porrò marinæ turturis, quemadmodũ & terreni scorpionis aculeus, in partem extremam acutissimã illam quidem finitur, ubi nullum foramen est, per quod uenenum deijci possit: necesse tamen est, ut cogitemus, substantiam quãdam esse aut spiritalem, aut fluidam, quæ ut mole minima, ita facultate quammaxima est. Quapropter ut Aponensis scribit, apparet magnetem ferrum attrahere, & eũdem ne attrahat ab adamante ligari. Visum est etiam Sapphirum anthracem fugare, aurum cor lætificare, & iaspidem sanguinis undecũq; fluxum cõpescere & narium cicoream. In craneo quoq; hominis (ut quibusdam placet medicis) uirtus inest contra epilepsiam. Agaricus enim & pulpa colocynthidis calidi & leues, per uentrem ducunt. Lapis lazuli terrestris & ponderosus uomitum incitat. Et magnes cum non sit calidus ferrum attrahit ex longinquis. Inuentus est etiam magnes qui ferrũ uno capite attraxit, & altero fugauit. Et similiter qui ferrum nõ attraxit, imò trahebatur à ferro. Tradũt nanq; experti scam moniam calidiorẽ ueratro, & tamen ducere deorsum, ueratrũ uero sursum. Quapropter Plato posuit substãtias separatas, quas ideas appellauit, huiusmodi formas specificas causare, & uniuersaliter omnem naturam & cognitionem, uidens particularia in omniũ transmutatione & fluxu. Hæc autem positio sic intellecta, ab Aristotele improbatur, licet ipsam Auerrois quodãmodo xij. metaphysicæ satagat sustinere, audiendo per ideas, impressiones à supernis factas in hæc inferiora per motum & lucem. In De cordis autem medicinis, Auicenna prędictas formas specificas à principijs causari actiuis, quorum causa deus est benedictus. In mixtione tamen elementari, ex qua secundum Auerroëm resultat proprietas occulta, reperitur forma declinãs ad latus caliditatis & ariditatis: & ideo pharmaca dissolutiua forma speciei attrahentia, calida sunt & arida: Qualitates enim huiusmodi ad tractionem conferunt. Propter quod & karabe fricatione calefactum, paleas fortius rapit. In rebus quoque uehementer frigidis fortassis ad eorum formam specificam mirabiles non sequuntur operationes, & occulte propter complexionem frigidam ignobilem, nisi extent animata, ut scorpio, ex principijs subleuatus uitæ, & ideo à Galeno tertio pharmacorum De medicinis interficientibus sua frigiditate, non ponitur aliqua tota specie interficiens, imò non interficit nisi per qualitates suas: ponuntur enim uenena frigida sua operari qualitate, sicut opium, mandragora, hyoscyamus. Quapropter hæc forma cum suis appendicibus speciei datur, & non indiuiduo: unde & forma dicitẽ speciei. Galenus enim affirmat res quasdã solo tactu, per qualitatis uim, ea quæ eis uicina sunt alterare posse: idq; planè uideri, ut iam diximus, in marina torpedine, utpote cui tam uehemens sit potentia, ut per piscatoris tridentẽ transmissa ad manũ alteratione, derepente totam reddat torpidam. His coniecturis facile deprehenditur, paruæ molis res quasdam, solo tactu, maximas inducere alterationes. Id quod in heracleo quoq; lapide, quem magnetem nominãt, uidere est, ferrum enim ei adhæret, uel nullo adhibito uinculo. Deinde si aliud, id quod primo tactum fuit, tetigerit, similiter ut primum illi inhærebit, postea tertium secundo, ita ut planè constet, rebus quibusdam uehementissimas esse uires. Ita etiam naturalia quoq; instrumenta omnia, facultatem habent occultam, qua actionem suam perficiunt. Abdita enim hæc sunt, in arcanisq; naturæ reposita.

Ideæ.

B

C De generatione urinæ. HISTORIA XX


ONTEXTVS quoq; uerborum Galeni talis est in primo De uirtutibus naturalibus libro: Damnata quoq; & hæc opinio est. Cur enim cum ex caua innumeræ oriantur uenæ, in reliquas quidē omnis sanguis, humor autē serosus in eas, quæ ad renes tendunt cōuertitur? Hoc scilicet ipsum quod in quæstione est, non dixerunt. Sed ubi rem factam narrarunt, putant se causam reddidisse. Rursus igitur (tertium seruatori) omnium pessimam iam dicamus, & quæ à Lupo Macedone inuenta est. Viguit autē propter nouitatis gratiā. Ergo Lupus hic ueluti oraculum quoddam ex adyto loquens, renum nutritionis excrementū esse urinā inquit. At quod totum id quod bibimus urina fit, nisi si quid cum aluo exijt, aut in sudorem, aut per inuisibilem perspiratū abijt, ostendit planè eius quod quotidie meimus copia. Hyeme autem maxime id intelligere licet, in ijs qui ocio degunt, & uino ampliter indulgent, potissimum si uinum tenue ac penetrabile sit. Meiunt enim hi celeriter tantum paulò minus quantum bibunt. Quod uero Erasistratus idem sensit, facile intelligunt, qui primum eius uniuersalium præceptorum librū perlegunt. Quare quod Lupus ait, nec uidet uerum, nec Erasistrati opinioni consentiens. Albo igitur iuxta prouerbium, coruo est similis, qui nec cum coruis uersari potest, propter colorem, nec cum columbis propter magnitudinem. Verum non idcirco est prætereūdus. Fortasse enim dicit mirum aliquid, quod nec maiorum quisquam nouit. Ergo quod omnes quæ nutriantur particulæ excrementū aliquod creent, utiq; non negamus. Quod aūt soli renes tantilla corpora, quatuor interim totas, uel etiam plures habeant excrementi cōgios, id nec cōfessum est, nec rationi consentiens. Quippe cuiusq; maiorum, quàm renum sunt uiscerū, plus esse excrementi est necesse: uerbi gratia, pulmonū, si modò uisceris magnitudini ad por-
D tionem respōdebit, sanè multiplex erit, respectu eius quod in renibus fit. Quare totum quidem pectus implebit, animal autem illico extinguetur. Quod si etiā æquale quis dicat in singulis aliarum partium gigni excrementū, per quas quæso uesicas excernit? Si nanq; renes in ijs, qui uino prolixe indulgent, tres interim quatuor ue excrementi congios faciūt, certe aliorū uiscerū multo plures erūt, dolioq; maximo opus erit, quod omniū excrementa capiat. Quanq; sæpenumero quātum potauit quis, totum id paulò minus minxit, tanquam quod bibitur id totū ad renes feratur. Apparet igitur tertius eorum qui nobis imponere pararunt, minime quod uult effi cere, sed statim deprehēdi, ac quod in dubio inter initia fuit, id tum Erasistrato, tum cæteris omnibus, cum ab Hippocrate discesseris, adhuc in dubio manere. Longius hoc loco mea sponte sum moratus, certo sciens neminē esse alium, qui de renū opere quicq; habeat, quod dicat, sed uel coquis necessariò imperitiores esse, qui per renes urinā colari non fatentur: & qui fatenť, nullam posse aliam secretionis causam prẹter tractū reddere. At uero si urinarū motus ad consecutionē quæ est ad id quod uacuať, nō agitur, clarum est quod nec sanguinis, nec bilis: aut si illarū, etiam huius. Omnia enim, ipso quoq; Erasistrato autore, necesse est eodem modo ferri.

CAMPEGIVS.

Nisi nouerimus primam urinæ secretionē in renibus fieri, deinde eam per uretetas ad uesicā peruenire, ac demū inde excerni, queādmodū iam antea in primo lib. natural. actionū Galenus ostendit, nihil huiusmodi inuenire poterimus. Neq; enī in hepate, pulmone, liene, uentriculo, corde, aut alia quauis particula ipsam quæremus, quod nulla ipsarum sit urinæ instrumentum. Itaq; quot modis cōtingat urinæ meatum (quem uretram, id est urinæ fistulam uocant) cōstringi cōsiderandum est. Equidem trifariam eos accipiendos Galenus censet. Aut enim corpus ipsius in tantum tumorem præter naturam attollitur, ut meatus inde occupetur: aut aliquid ei

præter

A præter naturam, ut uel caruncula, uel callus innaſcitur: aut à re quapiã obſtruitur meatus. Corpus ipſius ad inſignem tumorẽ attollitur, ſi uel inflãmatione, uel ſcirrho uel abſceſſu, uel alio quouis tumore fuerit affectum. In meatu caro quidem oritur, ſi præceſſerit hulcus: alia uero res longo tẽporis ſpacio ex craſſo lentoq́ humore paulatim naſci poteſt. Obſtruiť meatus uel à lapide, uel grumo, uel pure, uel craſſo lentoq́ humore. Igitur, inſit Galenus, hęc omnia diſtinguere oportet, nõ ſolum ex præſentibus accidentibus, ſed etiam ex ijs quę pręterierunt. Atq́ in his qui ſic afficiũtur, cauſa ſupreſſę urinæ facile deprehenditur: quãuis in alijs quibuſdam nõ adeò manifeſte dignoſcať: in quibus artificioſa cõiectura ab omnibus uocata, nobis perq́ utilis eſt, utpote quæ inter exactã notitiam, & omnifariã ignorãtiam, media quodãmodo putatur. Proinde fieri nõ poteſt, ut in omnibus morbis colligantur notæ, quibus, ut Empirici, id eſt experimẽta iactãtes, ſentiũt, euidenter quiſq́ affectus diſcerni poſſit. *Empirici.* Sed uerißimũ eſt id quod Eraſiſtratus dicere ſolebat: Oportet, inquit, hominẽ exercitatiſſimę conſiderationis eſſe, qui uoluerit nõ ſolum affectus ipſius qualitatem, ſed affectum quoq́ locum probe dignoſcere.

LIBRI SECVNDI FINIS.

IN CLAVDII GALENI PERGAMENI HISTORIALES CAMPOS, D. SYMPHORIANI CAMPEGII, EQVITIS AVRATI ET MEDICI CLARISSIMI, COMMENTARIORVM LIBER TERTIVS.

B

De regula Polycleti. HISTORIA PRIMA.



LECTOREM admonemus, ut diligenter hæc Galeni uerba excutiat, quæ in Microtechni in hũc modum ſubiecta ſunt: Bona craſis, hoc eſt conſtitutio, ceu à maioribus noſtris loqui didicimus: ſiue complexio corporis, quemadmodum à recentioribus medicis corrigimur, ueluti Polycleti regula eſt. Item in libro De optima compoſitione corporis: Corpus, inquit, bene compoſitum tale eſt, qualis Polycleti regula exiſtere dicebatur. Item in primo Complexionum laudat regulam Polycleti: quamuis in codicibus impreſſis ferè ſemper Polycretus legatur.

CAMPEGIVS.

Quæri ſolet à ſtudioſis, quæ ſit iſta regula Polycleti, cuius tam frequẽs mentio eſt apud Galenum. Medici recentiores nõ parum multi opinantur, Polycletum fuiſſe medicum, ſeculo priſco, qui quandam quaſi regulam legemq́ poſteritati tradiderit, ad quam perinde ac ſcopon & ſignum dirigenda eſſe cõplexio corporum, ac uita uictusq́ mortalium. Tale autem interpretamentum q̃ ridiculum ſit & nugatorium, nemo non bene literatus agnoſcit. Sed omiſſa aliena inſectatione, inſtitutum propoſitum cãdido ſtilo exequamur. Polycletus Sicyonius inter ſtatuarios nobilitatus, fecit ſtatuam æneam adeò abſolutam conſummatamq́, ut artifices id ſimulacrũ Canona appellauerint, liniamenta artis ex eo petentes, uelut à lege quadam: Canon enim græce regula eſt. autor Plinius in xxxiiij. Hinc Galenus ſcitiſſime exigit, laudatq́ complexionem, ſiue conſtitutionem corporis, ex omni parte perfectam, ſicut

C erat Canon Polycleti: quo ueluti archetypo & lege ac regula usi sunt posteri artifices statuarũ. Fuerat aũt fidi interpretis officiũ nõ aliter interpretari, q̃ ut greco uocabulo canon Polycleti regula diceret: discessit igit̃ à regula & lege bene interpretãdi.

De usu uini apud Græcos & maxime Platonem. HISTORIA II

NEC illud prætereundum clausis oculis, quod in libro De uirtutibus naturalibus eiusdem Galeni reperit̃ hoc modo: Sed à Platone quidem & hęc & alia multa in secundo legum dicta sunt, de potu uini, proficua eis, qui uolunt legem. Solius autẽ unius ego seriei dictæ, in fine omnium qui de potu uini seruntur sermonum, mentionem faciam, ubi prætulit Charchidoniorum uerba. Habet autem series ita: Cæterum in maiore utilitate quispiam haud iniuria ponet Charchidoniorũ legem, quàm Lacedæmoniorum: quæ iubet, ut nullus sit exercitus dux, qui modò uinum bibat, sed in potu aquæ maneat hoc tempore toto. Et in ciuitatibus nunquã cõcedi, ut serui uel seruæ uinum bibant: Neq; illi qui principes agunt illo anno, quo imperant, neq; gubernatores, neq; iudices, uinum gustent penitus, neq; quicunq; uoluerit consilio se dignum haberi, neq; de die neq; de nocte liberis operã daturi, siue mas siue mulier sit. Et alia multa diceret aliquis, quibus eos qui intellectum & mentem rectam habere debent, suaderet nõ esse potandos uino. Hæc Plato dixit non ægrotantibus, sed de eis qui inculpabiliter sani sunt. Aut uidetur uobis, ô generosissimi Platonici, exercitum ducere, & regere, & gubernare naues, eos qui nõ sunt sani? Respondere mihi dehinc interroganti: Nõnne uelut tyrannus aliquis bibitũ uinum imperat animæ, neq; agere suum officium recte sinit? & propter hoc cauere ab ipso ait Plato uelut aduersario: si ẽm semel intra corpus accesserit, & gubernatorem prohibet, ne ceu congruit tractet temones nauis:
D & eos qui in exercitu, ut nõ sobrij sint in acie: & iudices quando iustos esse oportet, errare: & uniuersos qui imperant perperàm imperare, & agere in summa nihil sanum. Quale putandũ est uinum, quũ uaporibus calidis totũ corpus, & maxime caput repleat, & motionis immoderatę causa fiat, concupiscibili parte animæ, & irascibili, & consilij & rememorationis rationali. Sed siquidem hęc ita habent, per mediã crasim dictæ animæ actiones uident̃ lædi cũ bibimus uinũ, sicut & aliquãdo iuuari.

CAMPEGIVS.

Vitandus est uini usus pueris & iuuenibus: nam quemadmodũ dictum est, Plato libro secũdo De legibus ita scribit: Ab ebrietate & uini repletione iuuenes omnino abstineant. Nulli penitus interdiu uinum concederem, nisi exercitationis corporeæ morborumq; causa, hoc potu opus fuerit. Neque etiam noctu uiro uel mulieri quãdo liberis operam dare uolunt. Gubernatores etiam atq; iudices munus suum subituros à uino penitus prohiberem. Deliberaturos quoq; de rebus non omnino negligendis. Ac uini usus fermè omniũ moderatissimus & parcissimus esse debet. Et ut inquit De complexionibus libro Galenus, uino sua & eximia existit in mutatione celeritas: Est nanque ut facula & filum oleo perfusum stupaq; & pix. Probatissimum uero uinũ, & ualentibus acõmodatius & ægris, q̃d colore rufum, substantia tenue, aliquatenus acerbescẽs, quale est Lugdunẽse. Sunt ferè uino colores quatuor: Albus, fuluus, sanguineus, niger. Præcellit sanguineus. A tristitia omni & angustia alleuiat euidenter uinum bibitum. Zeno (ut aiunt) dicebat: Quoniam sicut amari lupini infusi in aqua fiunt dulces, ita & ipse à uino disponebatur. Theognis etiam dicebat: Vinum cum bibitur multũ, malum est: Si uero id aliquis bibat sapienter, non malum est, sed bonum digestioni & distributioni, & sanguificationi, & nutritioni multũ cõfert, & cum hoc animã mansuetiorẽ & audaciorem efficit, per mediam uidelicet cõplexionẽ corporis, qua rursus ipsam operat̃ per mediũ humorũ.

Quod uinũ sit optimum.

Quod

A Quod non unius sint homines temperamenti natura: deq; natura mellis. HISTORIA III



INGENIO nostro hærere debet id, quod ab eodem Galeno scriptum est De alimentis libro primo, capite primo, cum in hæc uerba stilum conuertit: Nuper enim duos inter se cõcertantes spectauimus, quorũ alter salubre, alter insalubre esse mel affirmabat. Siquidẽ ex illato sibi à melle affectu, uterq; cõiectura utebať: nondũ illud intelligẽtes, haud eandẽ initio omñibus mortalibus cõcessam esse naturã: nec etiã si esset, immutabilẽ eam in ætatis decursu, ueluti nec in temporũ ac locorũ uariatione, tueri licere, ut ne in præsens pro exercitijs, uitæ ue institutis, & uictus ratione, natiuum corporis habitum immutari posse cõmemorem. Continuò igitur eorum qui de melle ita inter se disceptabãt, alter ętate senex, natura pituitosus, uitæ inertis ignauæq; erat, ab omnibus munijs, atque ijs etiam quæ balneum præcedunt exercitijs alienus: quas ipsas ob res mel ei apprime cõueniebat. Alteri uero biliosa natura annos nato triginta, quotidianis negocijs molestijsq; districto, non abs re celeriter mel in bilem conuertebatur: ex quo plus illud obesse quàm prodesse iudicauit. Noui & ipse quendam, qui os uentriculi non rectè sibi habere querereť: quod cum ab aceruata in eo pituita prouenire, ex ipsius sermone intellexissem, consului ut unà cum sinapi betam & porrum uoraret: quorũ quidem ope incisa pituita, largiterq; per aluum excreta, ab omnibus tentationibus est liberatus. At enim idem aliâs ob acreis cibos cruditate & uentriculi morsu uexatus, sumpto rursus cum beta sinapi non modò nõ leuabatur à mordicatione, uerumetiã longe cruciabatur atrocius. Et ipse sanè admiratus, quinam fieret, ut ab ijs quæ ante summopere iuuissent, nunc grauius læderetur, ad me accessit causam rei sciscitaturus. Itaque homines rei medicæ imperitos in his falli minime est absurdum. Verum medicis uiris speculationes plerasq; mire utiles, indistinctas & indeterminatas relinquentibus, quis est hominum qui ignoscendũ putet? Etenim non simpliciter saxatiles pisces permultis quidem faciles esse concoctu, à nõnullis tamen bubulam facilius confici dicendum est: sed utrosq; præcise discernere oportet. Sic utiq; & de melle non semel & absolute statuendum. Sed cui ętati, naturæ, tempori, regioni, uitæq; rationi utile aut noxium sit, addendum est, ueluti quod calidis & siccis perquam repugnat; frigidis uero & humidis maiorem in modum cõducit, siue ea temperies sit ab ætate, siue natura, siue regione, siue anni tempore, seu uitæ conditione. Itaque ad præsentem speculationem summe uidetur necessarium, hominum pariter ac ciborum temperamenta considerare.

B

CAMPEGIVS.

Seres, & qui extrema mundi climata inhabitant, tantum ab eorum complexione qui quintum clima incolunt, elongantur, ut complexio quæ uni genti salubris est, plerunq; alteri mortem consciscat. Et ut corporum dispositionibus, sic moribus, legibus, sententijs & ingenijs differunt. His de causis Thebani, Galli, Germani, Hungari robustiores, Athenienses, Aegyptij ingeniosiores habiti sunt. Tantus est corporis influxus in animã, ut Platonici, qui dæmones angelos esse uolunt corporeos, putent eos pro corporũ uarietate, rebus uarijs oblectari. Eos qui de cœlesti substantia corpus habent, figuris & cantibus allici. Qui ex igne, fumo & odoribus sacrificiorum. Qui uero ex aëre, dicunt sese corporibus insinuare solitos, & humani corporis humorem exugere. Sed de ijs ampliora uidebis libro nostro De uita sana, & libro quarto nostræ Symphoniæ, & primo Rosę nostræ gallicę. Sed quibus in unoquoq; alimentis utendum sit, paucis alibi perstringemus.

C De parente Galeni, in cognoscendo naturam & transmutationẽ hordei, tritici & lolij, deq; seminibus alienigenis, quæ in unoquoq; genere permixta reperiuntur. HISTORIA IIII



SCRIPTVM est apud Galenum libro De alimentis primo, capite ultimo, in hunc modum: Densum in tritico lolium frequensq; inuenit, ceu in hordeo quoq;, sed parcius: festuca uero ægilops dicta, minime in eo rara, si quando imbecillum semen terra diutius retentum, infelicem exortum progressum ue habuerit. At meus pater ætate iam inclinata, factus agriculturę studiosior, triticum atque hordeum summotis diligenter omnibus, diuersæ naturæ seminibus aliquando conseuit, ut certò posset cognoscere, an per illorum degenerationem hæc frugum uitia producantur, an propriam & ipsa naturam sortita sint. Cumq; permultum lolij in tritico, in hordeo parum, sed ægilopis plurimũ enatum conspiceret, in alijs quoque seminibus idem facere periculum tentauit. Reperit ergo lenti quoque per degenerationem durum rotundumq; aracum innasci, & securinum, cibo damnata semina: præterea apparinam, quæ cibo non modò aliena est, sed in herba quoq; lentem strangulat, humiq; detrahens enecat, sicut eruum eruangina. Sunt igitur sanè perquam perniciosa hæc semina. Quod porrò melampyron dicitur, generatur & ipsum ex tritico per degenerationem: sed nequaquam tantæ est prauitatis. Deprehendit insuper alia semina consimiliter mutari. Proinde usuris solitus est præcipere, ut noxia omnia, cum ad salubrem usum semina uellent adhibere, prius seligerent, néue illa negligerent, ut mos est publicis pistoribus. Etenim cum aliquãdo malignus esset annuus frugum prouentus, loliũ affatim tritico innasci contigit: quod & agricolæ, & pistores nõ satis diligenter expurgabant, factis idoneis in hoc incerniculis, quo scilicet uel hoc pacto rem frumentariã auctiorẽ facerẽt: nam ea admodũ tenuiter prouenerat. Extemplo ergo multi capitis dolore uexari cœperũt: ineunte uero æstate hulcera etiã in uescentiũ cute prodire, aut alia quæpiã symptomata, quæ succorũ prauitatem declararent. Quamobrem preceptũ illud de repurgandis seminibus, quæ cibo aptamus, minime est contemnendum: quamuis enim noxam, quæ singulis diebus succedit, præ exiguitate nõ sentimus, haud tamẽ longa dierum serie collectã atq; exaggeratã effugiemus impune: quin erumpet tandem aliquando, atq; manifeste nõ sine nostro se magno malo est proditura.

D

CAMPEGIVS.

Triticum spicis tritum sit, ut scribit Marcus Varro in libris linguę latinæ. De quo hæc Plinius: Itaq; sapientes agricolæ triticum tantum cibarijs serunt. Et alibi: Tritici semine nullũ auidius est, nec quod plus alimenti trahat: tritico nihil fertilius est, hoc enim natura ei tribuit, quoniam eo hominem maxime alit: nam ex uno modio si sit aptum solum, ut in Byzantio Aphricę campo, centũ quinquageni modij reddunt. Misit ex eo loco Augusto procurator eius, ex uno grano, mirum dictu, difficile creditu, quadringenta paucis minus germina. Misit & Neroni similiter, trecentenas & quadraginta stipulas ex uno grano. Calescunt em̃ in granarijs frumenta, & papiliones generant: hi uero tineas, illa rodentes. Ita feruens triticum podagris remedio est. Plinius Sexti Pompeij prætorij uiri patris referẽs exemplũ, qui Hispanię citerioris princeps, cum horreis præsideret, correptus dolore podagrico, mersit sese in triticum super genua, leuatusq; siccatis pedib9, mirabili modo hoc postea remedio usus est. Vis præterea tanta est feruescentis tritici in horreis, ut cados plenos exiccare dicatur. Hordeum in cibis antiquissimum fuit: polentam Græci ex eo cõficiebant. Panem uero ex hordeo maioribus usitatum, uita damnauit, datumq; est teste Plinio quadrupedibus. Ptisanę inde usus laudatissimus. Martialis:

Mulio

A Mulio quod non det tacituris accipe mulis.
Hæc ego cauponi, non tibi dona dedi.

Hordeum inter primas fruges demetitur. In Chalcia Rhodiorũ insula locus quidã est intantum fertilis, ut suo tempore satum demetant hordeum, sublatumq́ ꝓtinus serant. Inter frumenta æstiua est & sisama numeranda, ex Indis ueniens. Est & auena, quæ ad cibaria iumentorum seritur. Est Git quoque nigella & lolium pessimum, uertiginẽ & uomitũ inducens. Nec mirandũ est de eo, quod narrat Galen. de lolio, ex frumẽto genito & hordeo. Nam in Allobrogũ, Santum, Auernorũq́ agro pertinax siligo: in cæteris ibi partibus biennio in triticũ degenerat. Remedium est, ut grauissima quæq́ grana eius serantur.

Quî fiat ut quibusdam aluus ab âstringentiũ mâlorum aut pirorũ esu laxetur, si post ceteros cibos sumantur: sin ante, uomitum faciant.
Deq́ Scammonij malitia. HISTORIA V



SCRIPTVM est apud Galenum libro secundo De alimentis, cap. xxi. sic: Audiui quosdam, qui sibi aluum ab âstringentibus cibis molliri dicerent: operęprecium facturus uideor, si hoc loco semel quę mihi cum ratione, tum experientia crebrò hac de re comperta sunt, fuse pleneq́ explicauero. Principio igitur cum quidã ex nostra ciuitate orator, ab austeris piris mâlisq́ uentrem laxari sibi prædicaret, re mecum diligenter perpensa, perq́ experientiæ examen prius comprobata, in alijs quoque maiore cum fiducia eius periculum facere non dubitaui. Itaque uirum oraui, ut mihi uel uno die conuiua esset, quò uidelicet ipse intueri possem, & quo tempore, & quo modo constringentibus illis uteretur. Ac in primis continuò illum id sum precatus, ut ne quid ex consueta uictus ra-
B tione immutaret. Hic ergo à balneo aqua haud ita multa præbibita, mox fœnũ gręcum, ac radiculam, aliaq́ id genus quæ pleriq́ solent alijs nondum gustatis sumere, similiter prælibans, dulcisq́ uini modicum super his bibens, maluas deinde ex oleo & garo uiniq́ momento comedit. Post hæc & de pisce nonnihil, & suilla carne, ac aue. Ac denique cum secũdo bibisset, paulum quid intermittens, austeris piris prandium inclusit. Tandem uero ad ambulationem prodimus: nec longe post aluus illi egregie soluta est. Quæ ubi conspexissem, egi cum amico, ut postridie mihi conuiua denuo esse ne grauaretur, utq́ penes me omne uictus arbitriũ esse permitteret. Quo non ægre impetrato, mox à balneo primæ mensæ pira induxi, cæteraq́ deinceps ordine quo erat assuetus. Quibus ita peractis non modò non abunde, sed ne mediocriter quidẽ desedit. Ipsi igitur obstupefacto, reiq́ causam ex me scire gestienti, quæ nunc sequuntur, exposui. Cum ea, inquam, gari ac aliorũ simul cum eo sumptorum sit natura, ut aluum subducant, huic iam ita ab illis præparatæ, adstringentia postremo iniecta, subductionis causa fiunt, maxime ijs qui stomacho sunt imbecilli. Nam hæc ipsa uentrem roborantia, concitantiaq́, deorsum trudunt in eo contenta. Hæc autem ut ita habere credas, facilius adduceris, si cras inchoato ab adstringentibus prandio, proxime illis carnes, ultimo ex oleo garoq́ fercula sumpseris. Minime gentium, inquit ille: nam si postremas cum oleo & garo maluas essem, repente euomerem. Acu, inquã ego, rem tetigisti. Etenim hæc tum uentrem subuertunt, tum eius potissimum os, quod nunc ab omnibus trita uoce stomachus appellatur. Contrà adstringentia ipsum firmant, atque corroborãt. Ideoq́ si uentriculum alius quispiam humor percellat, ac labefactet, ut solet nonnullis flaua bilis copiosius aceruata: aliquo adstringente degustato, qui ita affectus fuerit, illico infestantem humorem deorsum expellet. Sub hęc iuuenem quendam illi cõmonstraui, qui paucis ante diebus purgationis gratia deuorato scammoniæ succo, quinque post sumptionẽ *Exemplum de scammonia.*

C horis nihildum potuerat excernere, sed stomacho angi premiq́ꝫ se, et uentris distentione pōdereq́ꝫ torqueri dixerat: ac idcirco pallidus, anxius, inopsq́ꝫ animi, symptomata quibus obsidebat, mihi indicare erat coactus. Proinde qua illum ratione liberauerim, ex illo ipso, inquã, malim audias. Ac quũ dicto corã illi iuuenē sistebã, quæ sibi euenissent relaturũ: nempe ut postquam ego iussissem, aut mâli, aut punici, aut piri frustulũ mãdere, ipse horũ aliquo transglutito subitò à molestijs omnibus fuisset persanatus, uentre coaceruatim & in uniuersum multa uariaq́ꝫ extrudēte. Quocirca tibi quoq́ꝫ rhetori, aiebam, cum adstringentibus cibo finem imponis, quoniam & stomachũ, & uentrem totum nactus es imbecillem, idem scito usuuenire. At ille, nihil, inquit, uerius dixisti: quippe talis prorsus natura mihi est stomachus, facile à quibuslibet euertitur, atq́ꝫ ego à cibo austerum quid assumere tum præcipue soleo, cum illum uehementer supinũ, & nauseæ iam ferè proximum persentisco. Hic itaque qui mihi cũ rhetore sermo intercessit, satis docere te poterit, ijs qui infirmo sunt stomacho, si adstringentium quippiam supermandant, aluum laxari.

CAMPEGIVS.

Pira uirtutis stipticæ sunt, & fungis concocta malitiã adimunt. Pira autem & fructus omnes prohibeantur omnibus, præterquam exercitatis labore, & cholera rubra abundantibus: atq́ꝫ ne tum quidē nisi in æstate ante epulas comederint. Aptissimos nanq́ꝫ reddunt homines ad febrium ardores, stomachum prius calore priuantes, ut est apud Auicennam. Frigida sunt pira in primo gradu, arida in secundo. Cohibent uentrem ante cibum sumpta, præsertim acerbescentia. Iugiter & saturatim assumpta colicas efficiunt affectiones: calidis cōgruunt uentribus. Quæ in ipsis continentur semina, sua quadam proprietate pulmonis utilia sunt languoribus: at renes offendunt: post cibum utilia sunt stomacho, sitim extinguunt. Poma. Fœtus

D arborũ mâla & poma dicũtur, quæ tenui cortice ut mandi etiã possint, obducta esui sunt: licet duriore interea sint tantum granata. Nam cōpluria uidemus genera, apiana, rubiginosa, deciana, septiana rotunda, petisia paruula, sed odoris eximij. Rosea omnibus nota, & paradisea, quod in omnibus paradisis, id est hortis inseri debeant, si non primas, saltem secundas partes inter mâla sibi uendicantia, & odoris & saporis suauitate. Seruantur per hyemem loco frigido & sicco contabulato. Colligenda post æquinoctiũ autumnale, neq́ꝫ ante xvi. lunam, neq́ꝫ ante primam horam, & caducis à cæteris manu lectis seiugatis, sunt reponēda. Psellus inquit, poma quæ acerbescunt, frigidum habent & terrestrē succum, nempe crassum: Quæ autem acida, frigidiũ & tenuium partium medij sunt temperamenti. Dulciora, calidiora iudicantur. Quæ acida, apparent frigida quidem, & mediæ cōplexionis: Dulcia, ad caliditatem declinantia qualitatem. Scammonium uero medicinas omnes exacuit, quod & stomacho inimicũ perhibetur. Et Democriti autoritate solutiuũ est antonomastice, & est calidę complexionis in gradu tertio, & aridæ. Idipsum soluit bilem flauam, & dari potest ex eo à septem granis usque ad quartã partem drachmæ unius, uel ut alij, à quinq́ꝫ granis usq́ꝫ ad duodecim.

De similitudine carnis suillæ ad humanam. HISTORIA VI

MEMORIAE dedit Galenus libro De alimentis tertio, capite primo, porcinam carnem similitudinem cum humana habere in hunc modum: Quidam humanis carnibus quasi porcinis uescentes, nullam eius neq́ꝫ ex gustu, neq́ꝫ olfactu suspicionem habuerũt. Nam hoc sanè perditissimi hospites, ac alij quidam patrauisse aliquando sunt deprehensi. Meritò ergo porcellorum alimentum tanto magis eo quod grandes præbent sues, excrementis abundabit, quanto illi ijs sunt humidiores.

CAMPE-

A CAMPEGIVS.

Porcina caro boni succi, & annicula cococtu facilis, humano corpori consimilis. Ferūt nanq̧, quosdā necessitate urgente humana carne pastos, narrasse porcinæ ui deri persimilem. Est autem plus omnibus eduliis nutriens. Nam nisi admodū temperata fuerit porcina caro, cibum improbum faceret (pascitur nanq̧ quibusuis fœdissimis) neq̧ in optimā fœdissimū cibū cōmutaret carnem: quemadmodū humana corpora si fuerint tēperata, ab improborū humorū cibis nō offendūtur, ac licet post oblanguescant, transmutant tamē postea in boni humoris naturā homines. Aper dicitꝰ q̄d in asperis locis, senticetis, & montibus intonsis uersetꝰ, ut refert Marcus Varro in libris linguæ latinæ. Plurimi est nutrimenti, & facilis digestionis, melior quàm domesticus, quia leuioris substantiæ, ut est apud Auicennā. In portentis numerantꝰ tres apri: Erymātheus, quē sustulit Hercules: aper in Olympo Mysiæ, in cuius uenatione cecidit filius Crœsi uulneratus ab Adrasto, de quo Herodotus: & aper Calydonius, quem Altheæ & Oenei filius Meleager interfecit. *Aper.* *Tres apri in portentis.*

De aquis admiratione dignis.

HISTORIA VII

LIBRO De bonitate aquæ, de mirabilibus aquæ in hunc modum narrat Galenus: Quæcunq̧ quidem aquæ æstate sunt frigidæ, hyeme uero calidę, optimę esse uidentꝰ. Quę uero cōsimiliter habent cū in caliditate tum frigiditate singulis temporibus, pessimæ. Mirabile autē est quod in quibusdam hyeme quidem disparet aqua, æstate autem abundat, quamuis cōtrarium deberet esse. Sed & huiusmodi causa est caliditas, quæ simul ducit secum profundas aquas: hi nanque sentiunt calorem quicunque profundi sunt fontes, & non recipiunt multum ab extrinsecis pluuiis. Inuenies in hyeme quidem & uehementissimis frigiditatibus paucissimos, æstate autem plurimos. Quocirca & qui in Delo est lacus hæc patitur, propter easdem causas: & putei multi in Pytho. Vna itaq̧ bonarum & malarū aquarū est cognitio, si in hyeme quidē est calida, æstate uero frigida. Secunda uero, si pura est, & non lęsa secundum colorem, neq̧ malam habet hypostasim. Alia uero si est leuis, & facilis ponderis: quæ enim in pondere est leuis, nō est permixta terræ. Considerare autē oportet, ut si citò calefit & infrigidatur: melior est enim ista aliis, & qualiter ad digestionē habet, & qualiter ad secessionē. Quæ enim citò digeruntur, sunt meliores, & quæ secedunt secundum uesicam. Mala enim est quæ per intestina, aquarum secessio. Differunt autem aquæ secundum colorem & regionem, & oportet de his ab hominibus locorum interrogare. Est enim aqua in Leontinis, quam siquis bibit, moritur. Talis autē alia est in Ereo Arcadię, quam uocant aquam Styge. Talis etiam alia est in Thracia. Et lacus qui in Sabromatibus, super quem neque auis uolare potest: & alius secundum Medos, super quem & regio stat, nigra, quæ approximata igni accenditur: & hoc pharmaco aiunt Medeam corripuisse filiam Anacteontis. Est etiam & circa Susam aqua, quam si quis biberit amittit dentes. Subaris uero fluuius uiros ingeneratiuos facit. Is autē qui in Aegypto, depilat capita bibentium.

B

CAMPEGIVS.

Fons dictus est, quod inde aqua funditur è terra, quæ fontana appellatur. Cæteris salubrior est, & maxime terræ liberæ, ut Auicenna testatur. Et cum nullus sapor odor'ue aquarum ad cibos esse debeat, unus tamen in toto traditur orbe fons aquæ iucundæ olentis in Mesopotamia Cabura, quoniam, ut ferunt fabulæ, eius aqua Iuno est perfusa. Fons erat Aethiopiæ, quo loti, perinde ac oliuo delibuti,

C uiolã redolebant, & eius aqua nihil innatare poterat, sed omnia pessum ibant in profundũ, ut tradit Herodotus. In Germania trans Rhenũ maritimo tractu fons erat aquæ dulcis solus, qua epota inter biennium dentes deciderent. Plinius autor est. Fons erat Thebis, Cissusa nomine, in quo Bacchum nutrices cum fuisset in lucem æditus abluisse dicuntur in fabulis. Nam color uini splendebat, aspectu translucidus, potuq́ꝫ mellitissimus, ut Plutarchus in Lysandro. Fons uti uino mixtus fuit Paphlagoniæ, ex quo potantes ebrij fiebant. Apud Nasamonas fons erat per diem frigidus, noctu calidus, de quo meminerunt Italicus, Pomponius mela, & Lucretius rerum naturæ ultimo. Est apud Hammonis fanum fons, quem luce diurna frigidum, at calidũ nocturno tempore ferunt. Solinus Aganippen fontem Bœotiæ dixit à Cadmo fuisse mõstratum, cuius aqua facundiam pareret. E Clytorio Arcadię qui biberint fiunt abstemij, id est uini osores, & inuinij, ut recitãt Vitruuius, Vibius Sequester, & Ouidius metamorphoseos ultimo, his uersibus:

Clytorio quicunqꝫ sitim de fonte leuauit,
Vina fugit, gaudetq́ꝫ meris abstemius undis.

Est & alius apud Delphinates, prope Gratianopolim & urbem Diensem, qui extinctam facem accendit, & quotidie ardet, quem incolæ ardentem fontem appellant. Est & apud Forenses in urbicula, qui sanctus Baldomerus dicitur, alius fons, admiratione omnium dignissimus: Nam quod aquam in primis decet, cum argento electróue purissimo de claritate contendit, cum uino robore fortitudineq́ꝫ peracri, unde fons fortis appellatur ab incolis, decertat: & largiflua abundantiq́ꝫ scaturigine cedit profectò nemini. Verum ut iam ex infinitis eius uirtutibus aliquot enumerem: Ab ima fontis profunditate ad aquæ superficiem, assidue atqꝫ incessanter exoriun-
D tur bullulæ, quæ uix enatę subitò franguntur. Aqua hęc fermenti uicem tenere cernitur, eiusq́ꝫ uim habere, si ea pinsitur panis. Quid, quod cum bibitur, uinum apparet gustui q̃optimum: ebibita uero sui, id est aquæ saporẽ relinquit: Mirum profectò hoc est: uerum illud longe multoq́ꝫ mirabilius, quod non equidem auditu tantũ sed experimento quoque habeo cognitum. Huius haustu bis febre leuatus sum, tertiana primum, dein continua: idcirco quod antea cum audirem, uix credere potueram: cum expertus fuissem, perfecta sciui: permultaq́ꝫ alia ut crederem mihi persuasit, quæ de fluuijs fontibusq́ꝫ ac lacubus ab optimis scriptoribus scripta leguntur. Complures alios fontes, laude nequaquam indignos, cernere posses in episcopatu Lugdunensi, inter quos percelebris ille sancti Symphoriani, Castri fons primum sibi locũ facile uendicat: hic peculiari proprioq́ꝫ uocabulo Gouardus uocatur, haud longe ab memorata urbe distans. Huic tam affluens tamq́ꝫ abundans est scaturigo, ut cæteris huius loci omnibus siccitate deficientibus, puteisq́ꝫ aqua exhaustis, solus cunctis satisfaciat habitatoribus. Aqua hæc potui usqueadeò suauis grataq́ꝫ est & amabilis, ut in æstate maxima, uinum ei iudicares postponendum. Homines haud dubie plusquam uitrea crystallináue sua claritudine ad sui haustum excitat, & prope compellit. Felix certe patria, quę tam præclaro fonte ditata est.

De natura fungorum & horæis fructibus. HISTORIA VIII



LECTOREM admonemus, ut diligenter hæc Galeni uerba excutiat, quę in libro De euchymia & cacochymia in hunc modum subiecta sunt: Vidi deniqꝫ quosdã, propter fungorũ esum mori: quosdã aũt propter conij, uel ferularũ: paucos uero ex eis uix saluari. Sicut eñ familiares naturæ naturis sunt, ita & aliæ aduersariæ & corruptiuæ. Nutriri igiť nos à familiaribus, perire aũt à cõtrarijs accidit. Ego quidẽ patrem habui in geometria, & astrologia, ad summũ ꝑuenientẽ: ab omĩbus uero qui cognouerũt eum, in iustitia et bonitate et

Galeni pater.

honestate

A honestate admirabilem, sicut nullus fuit philosophorū. Hic igitur mihi quidem ab infantia uiuendi rationem præscribens, me absq; ægritudine custodiuit. Postquā autem puber factus sum, pater meus abijt in agrum, existens amator agriculturæ: ego autem adhærebā studio ultra omnes cōdiscipulos, non die solum, sed etiam noctu. Repletus autē cum coëtaneis in omni tempore, omnibus horarijs fructibus, ęgrotaui in autumno ægritudine acuta, ut indigerem phlebotomia. Veniens uero ad ciuitatem pater increpauit me, & pristinæ meminit diætæ, qua ab ipso diætabar: iussitq; de reliquo seruare eam, abscedendo à coëtaneorū intemperantia: & secundum eum qui deinceps annum curam habuit obseruare dię̨tam meam, ut moderate tangerem fructus horæos. Erat autem annus tunc ætatis meæ decimusnonus, absque ægritudine. Igitur in ipso permanens, deinde post ipsum annū, patre meo mortuo, simul cum coetaneis dię̨tatus in copiosis oporis, ęgrotaui ęgritudine simili priori, ut & phlebotomia indigerem. Ab eo uero tempore, quandoq; quidem consequenter quolibet anno, quandoq; autem deficiens anno uno, ægrotabam usq; ad xxviij. annum. In hoc uero anno periclitans apostema habere in ea parte, qua hepar diaphragmati cōtiguatur, à superfluis horęis fructibus abstinere decetero decreui, preterq; à maturis certitudinaliter ficubus & uuis: neq; de his immoderate, ut ante, sed moderate offerens. Habui autem alium quendam seniorem me, per duos annos, eandem mentem mecum habentem. De exercitijs igitur curam habentes, ut nunquā indigestionē pateremur, absque ægritudine permansimus usque nunc annis multis. Et aliorum uero amicorū quicunque uacant circa exercitia, & ordinatiuam diætam omnem, omnes uideo semper sanos. Hos quidem ab annis uigintiquinq;, uel quindecim, hos autē à paucioribus, ex quo persuasi fuerunt abstinere ab oporis, &
B alijs mali succi cibarijs, quæ pręstat pertransire in hac scriptione. Eis igit qui possunt exercitari ante cibos, neque certitudinali diæta opus est. Eis autem qui propter circunstantias rerum prohibent, non solum ęertitudinali diæta opus est, sed etiā pharmacorum sanatiuorum est opus.

CAMPEGIVS.

Fungi, & frigidi sunt, & pituitosi, & mali succi. Ex his boleti innocentiores sunt, & manifestę qualitatis expertes, si recte coquantur. Deinde aminanitæ ab ijs secundum locū obtinent. Ab alijs uero fungis abstinere oportet, quippe cū multi ex ipsis letiferi sint: ac ipsi quoq; boleti, nisi percocti ędant, præsens periculū (ut Paulo Aeginetæ placet) sępenumero minant. Fungus igit frigidū & humidum edulium, inde letalis est potestatis: ex quibus, ut Galenus scribit, sunt qui occidant: tametsi inquit apud Horatium ille Epicureus: Pratensibus optima fungis, Natura est, alijs male creditur. Horæi fructus apud Galenum sunt, quos temporarios nostri uocant, ut cucurbita, pepon, melopepon, cucumis, atq; in summa omnes autumnales fructus, refrigerant & humectāt, & sunt exigui alimenti, & mali succi. *Horæi fructus* Temporarij fructus potius ad gulam pertinent, quàm ad cibum. Sed præceptum Epicteti, in Enchiridio, ut optimum custodiendum est. Quod, inquit, ad corpus attinet, ad purum usq; usum sume, uel ut cibum, potum, uestem, domum: Quod autem ad gulam, aut delitias pertinet, penitus circumscribe. Sunt autem temporarij fructus, secundæ mensæ fructus, qui sub bellarijs cibis cōtinentur. Bellaria significāt secundæ mensæ omne genus cibi. Nam quæ tragemata Græci aut pemmata, ea ueteres nostri bellaria appellauere, ut refert Aulus Gell. Vnde Macrobius in Satur. Adhuc dicente Furio, secundæ mensę illata bellaria, nouo sermoni principiū dederūt. Cur autem edenda sint tragemata, & secūdarū mensarū cōsuetudo fuerit introducta, quærens Aristoteles in Problematib. ut satis, inquit, bibamus: nō enim sitis gratia solū, quę per mensam primam nos teneat bibendū, sed etiam post hausisse aliquid iuuat.

C De cura podagræ, & aliorũ morborũ: quæ fit per medicamenti euacuationem, uel sanguinis detractionẽ. HISTORIA IX



LECTOREM admonemus, ut diligenter hæc Galeni uerba excutiat, quæ in libro De phlebotomia in hunc modum subiecta sunt: Qui imbecilles oculos habent, uel nominatis scotomaticis passionibus facile corripiuntur, & ipsi secundũ principiũ Veris indigent euacuatione: præconsiderantibus nobis, quale sit quod aceruatum in eis fuerit. Nam nõnulli quidem melancholicum humorem aceruant ampliorẽ alijs: quidam autem cholericum, quidam phlegmaticum, quidam uero pariter omnes: in quibus sanguis abundare dicitur. Hos igitur uniuersos euacuabis, quemadmodũ & podagricos & arthriticos in principio Veris. Sed uel medicamentis euacuãdo, uel sanguinem detrahendo. Ego deniq; multos, annis iam tribus uel quatuor molestatos per interualla doloribus pedum, sanaui: uel purgans humorem abundantem in principio Veris, uel sanguinẽ auferens. Manifestũ est autem, quoniã moderati quidam, tales secundũ totam sunt diętam: quia intemperatos uini potatores & gulosos, nulla arte, neq; medicaminib. purgando, neq; uenæ sectione, iuuabis: Aceruant enim citò multitudinẽ crudorũ humorũ intemperate diętati. Hos quidẽ neq; satagere, neq; euacuare oportet. Quicunq; aũt obedientes sunt, iuuabis ipsos magis secundum principiũ Veris, præeuacuans quidẽ primũ, deinde aũt ad exercitationẽ & diætam sanatiuã adducens. Quę uero in his dixi, hæc tibi & de omnibus dicta esse puta aptis capi passionibus, utputa epilepticis, apoplecticis, scotomaticis, hæmorrhoicis uel melancholicis.

CAMPEGIVS.

D Cõstat quod de his hoc à Galeno loco agitur, qui bene ualeant quidẽ, sed quibus sit ęgrotandũ nisi uacuentˀ. Tales enĩ prius uacuãdi sunt ineunte Vere, uel solutione uenæ, si satietatis morbus affligat: uel purgatione, si labes succorũ fatiget. Ad hũc modũ multos obseruamus sospites, qui pridẽ quotquot annis in morbũ inciderant. Quinetiã podagram, et item articularẽ morbum adhuc nascentem obrepentemq́;, nondũ topho lapide facto in artubus, uel nondũ poros circa articulos facientẽ, ex tali euacuatione multis iam annis fieri prohibuimus. Itidem sanguinis screationẽ, lapsum epilepticũ, atram bilem, attonitũ, & alios affectus lõgos istiusmodi, prelata curatione sæpenumero sedauimus. Itaq; solutio uenæ promiscuũ indiscretumq́; remedium morborum est, qui ex repletione affligunt. Purgatio uero si consideretur in uniuersum, singulare & solitarium præsidium intelligitur: Si speciatim spectetur, multifariam distracta uarijs morborum generibus, subuenit: pituita infestante, & item flaua bile, aut atri fellis succo, aut excremẽto dilutiore. Exempli gratia: Vir nobilis Castelnan nomine, Aquitanus, articulari uexabatˀ morbo, singulis annis posthabita purgatione. Vidisses mirum hercle quonam modo uel ipse primariam prehendentis affectionis genituram confestim internosceret, meq; arcessens uindicabatur articulari morbo, statim uacuatione flaua bili succi confecta. Talis enim purgatio bifariã proficit, tum quia uacuanˀ excrementa, tum quia materia acrior excernitur. Purgabam igitur ipsum, nõ Vere tantum, sed etiam Autumno: & sicuti dixi, si ex contentione aliquando purgationem prætermisisset, statim affectionis accidentia sentiebat. Quidam alius apud Lugdunũ, nomine Barondean, tempore æstiuo semper febribus acutis corripiebatur. Sed multis iam annis non febricitauit, quoniam per uenę sectionem circa principiũ aut medium Veris anticipauit, cui singulis annis singulæ purgationes abunde medebantur: sed his derelictui habitis, continuò innotescente affectu. Morbi itaque huiuscemodi, cruoris exigunt purgationem. Comitialis autem, & apoplexia, & anhelatio, pituitosi, & articulares, si cum

multa

A multa fuerint caliditate, amaram bilem uolunt euacuari. Si uero frigidis tumoribus, pituitam. Sed quia apud nos uenæ sectio, à pharmacia longius distare non debet, ab illa ad uenæ sectionem (si quæ à diuo Hieronymo, de podagræ morbo narrantur, posuerimus) transeamus. Legimus, inquit, quosdam morbos articulorum & podagræ humoribus laborantes, proscriptione bonorum, ad simplicem mensam, & ad pauperes cibos redactos, conualuisse. Caruerunt enim solicitudine dispensandę domus, & epularum largitate, quæ & corpus frangunt & animã. Irridet Horatius appetitum ciborũ, qui cõsumpti relinquunt pœnitentiam. Sed etiam ex uilissimis cibis uitanda satietas. Nihil enim ita obruit animum, ut plenus uenter & æstuans, & huc illuc sese uertens, & in ructus & crepitus uentorum efflatione respirans. Orpheus quoque in carmine suo, esum carnium penitus detestatur.

De curatione & auxilio per sanguinis missionẽ. HISTORIA X

EIVSDEM Galeni uerba sunt ex libro De phlebotomia, capite iij. secundæ summæ, secundæ doctrinæ: Ego autem uidi quãdoq;, rogatus ab aliquo habitante in Casali Romanorũ ciuitate, uiri diuitis quendam procurantium eius res, periclitantem cæcari. Hic enim dicebat se dolere ualde, & hæc pati ferè diebus xx. Erat aũt qui domum diuitis prouidebat medicus Erasistratius, imperans abstinere à phlebotomia semper. Videns igitur ego patientẽ iuuenem, existentẽ multi sanguinis, hulceratos quidem adhuc oculos habentẽ, phlegmonem autem maximã, & rheuma & pilositatem inuersam in utrisq; palpebris: in altero uero & asperitates iam aliquas, à quibus tenebris inductis adhuc magis dolebat, & exacerbabatur phlegmone & rheumate. Et sciens omnem quam faciebat curationis educationem medicus, me quidem dixi, non posse ad Casale ire. Indigere uero hominem usque ad tres dies ad minus, non ex longis interuallis à me uideri: Da igitur ipsum dixi, si uis, his tribus diebus mihi. Et utiq; ait: Precor & hęc, & gratiam extimabo: & iam ad domum tuam mittam hominem. Venit igitur hora quasi quinta, ablatæq; sunt ei prima ablatione sanguinis libræ tres, deinde alia una hora nona: in quibus confortatus, manè subunctus est secundum posteriorẽ uno mollium collyrio, admixto ipsi eo q̃d ex uino constat, quemadmodũ assueuimus in talibus agere, per submissionem extremitatis graphij, sub palpebris subunctione facta. Actum autem est hoc manè in aurora, deinde quarta, deinde hora nona: in quibus subunctionibus lotus est circa occasum solis. Postera die reuersis palpebris subunctus est bis, superadmixto molli collyrio, multo pluri quàm quod per unũ, & dein ad uesperam lotus est. Postridie uero manè obuians diuiti, in eo loco ubi ex uehiculis descendere sunt assueti, salutauit illum oculis apertis, phlegmoneq; ac fluxione planè liberis, qui ante duos dies, ne aperire quidem palpebras, præ fluxione & dolore poterat. Visa igitur est res incantationi alicui facta esse similis, adeò ut ipse clamaret, admirans uelocitatem curationis, omnesq; qui cum eo similiter uocitarent: non nobis magnum quid facientibus, sed ex ea quæ apud familiarem medicum eius comparatione maxima mala agentem, propter phlebotomiæ metum. Cęterum indigebat quidem qui laborabat, mundari his, quæ ex palpebris pilositatum sorditiebus & asperitatibus. Impossibile autem erat fieri hoc absq; pharmaco mordicante, atq; ferè illud neutiq; potuisset, nisi prius expurgatus foret. Dictum est em̃ iam & demõstratum pluries à nobis, quod omnia acria pharmaca, admota particulis aliquibus, si quidem nõ euacuatum fuerit totum corpus, & certe superfluum attrahunt fluxionem, & phlegmonem operantur. Tunc autem diues interrogabat, quę incantatio curationis facta est? Et omnia audiens quæ facta fuerunt, de cætero Erasistratium illum medicum, αἱμοφόβον, id est sanguitrepidulum nominabat.

C CAMPEGIVS.

Ea uero per quam syncerus multusq; sanguis excernitur, uniuersum corpus plerunq; euacuat, haud secus quàm hæmorrhoides, aut muliebre profluuiũ. Atq; hæc Galeni doctrina, nõ paruum habet in oculorũ curatione momentum. Sunt tamen nõnulli in sanguine mittendo audaciores, quos medici sapiẽtes admodũ detestanť: Nam sanguis est atræ bilis temperamentũ, spiritus fomes, uitæ thesaurus. Siquidẽ antiqui primam ultimamq; ætatem sustinere nõ posse hoc auxilij genus, iudicabãt: persuaseruntq; sibi, mulierem grauidam, quæ ita curata esset, abortum esse facturã. Postea uero usus ostendit, nihil ex his esse perpetuum, aliasq; potiones & obseruationes adhibendas esse, ad quas dirigi curantis cõsilium debeat. Interest enim, ut Celsus ait, non quæ ætas sit, neq; quid in corpore intus geratur, sed quæ uires sint. Ergo si iuuenis imbecillus est, aut si mulier quæ grauida nõ est, parum ualet, male sanguis emittitur: Et firmus puer, & robustus senex, & grauida mulier ualens, tutò curanť. Maxime tamen in his medicus imperitus falli potest, quia ferè minus roboris illis ętatibus subest, mulieriq; prægnanti post curationẽ quoq; uiribus opus est, non tantũ ad se, sed etiam ad partum sustinendum. Interest enim inter ualens corpus & obesum, inter tenue & infirmum. Tenuioribus magis sanguis, plenioribus magis caro abundat. Facilius itaq; illi detractionẽ eiusmodi sustinent: celeriusq; ea, si nimium est pinguis, affligitur: ideoq; uis corporis melius ex uenis, quàm ex ipsa specie æstimať.

De medicina sanguinis eductiua. HISTORIA XI



MEMORIAE dedit Galenus, libro De uirtute pharmacorũ, capite iij. quæ sit medicina eductiua sanguinis, in hunc modum: Illud quidem solum certum est mihi dicere, quod factũ fuit in Bithynia Thraciæ, adhuc nobis existentibus pueris. Inuenit quidam homo talem herbam, ut qui
D attrectaret ipsam, emitteret sanguinem, & sic periret. Multis igitur morientibus simili modo, inquisitione diligentiori facta, inuentus est medicator, & ad præsidem gentis duxerunt ipsum. Opus autem illius fuit, non solum ipsum hominẽ perimere, sed & si quis alius aut docuisset ipsum, aut didicisset ab ipso. Didicisse quidem à nullo inquit herbam, sed cum aliquando porcellum ad quoddam suburbiũ deferret, applicato uentre reposuisse penes herbã ipsum, & cum post remouisset, uidissetq; liquores sanguineos ex toto iecore ad herbã defluentes, hinc cõiecturatus uerisimile esse, quod herba attraheret sanguinem: dedit alicui superuenientiũ hominũ experientię gratia: ut autem quę sperauerat inuenit, ad malum usus est reliquo. Dixit autẽ quod nunquã ostendisset alicui hominũ alteri herbam. Hæc dixit medicus ille ad plurimũ tortus. Præses aũt gentis, quoniam secundum narrationem quam fecerat de herba, ualde multã nasci inquit ubiq;, ligatũ oculos iussit ipsum adduci moriturũ, ne alicui intermedio ostenderet. Itaq; optime multa quidem uerisimile est inueniri medicamina, talem habentia uirtutẽ, ut mox à principio attrahant sanguinẽ: sed taceri rationabile ipsa, sicut alia uenenosa, ab omnibus habentibus intellectum.

CAMPEGIVS.

Pharmacum quũ corpus intrarit, primo id quod omniũ maxime sibi secundum naturam cognatum atq; simile est, agit, inde reliqua trahit & purgat: Quemadmodum stipes & semina terram ingressæ, sibi quod ex ipsarum natura est trahunt, uel acre, uel amarum, uel dulce, uel salsum, uel aliud quid diuersum, in primisq; ex eo plurimũ q̃d sibi naturali propinquitate maxime coniunctũ est arripiendo, tum cęteta deinceps attrahendo. Talem quoq; modũ pharmaca seruãt. Quę bilem mouent, primum meracissimã purgant, deinde mistam. Item pituitæ pharmaca primum meraciorem pituitam cient, post confusam. Iugulatis sanguis fluit, primo quidẽ feruentissimus, atq; perquã rubidus, mox magis pituitosus magisq; biliosus.

De uiri-

A De uiribus centaurij. HISTORIA XII


EC illud pretereundum clausis oculis, quod in libro De uirtutibus centaureæ, ad Papiam scriptũ, reperit̃, hoc modo: Apollonius senex, unus uirorũ, qui ualde erant approbati Romæ, cuius magister fuit expertus medicus, utebatur centaurea in multis aduersitatibus: & miratus sum quidẽ de ipso in circũambulatione: plurimũ enim propter hoc circũambulabã cum ipso. Cumq; quendã morsum à cane rabido curaret præsente me & deridente, & dicente, nũc nõ habes uti centaurea: cõuersus ad famulũ, ait: da mihi pyxidem: cumq; dedisset ei, uidens eum ex pyxide accipientem de pharmaco, primo quidem putabam & ipsum deridere, erat enim maxime simplex homo. Postquã autem uidi curam facere de ipsa, multũ miratus fui de succositate: & exinde diligens inquisitor factus sum de ipsa, ut dicta antiquorum percurrerem, & eorũ qui secundum nos plurimos medicorũ interrogarem de ipsa, si aliquod nouum haberent dicere: nihilominus omnia aggregãs, iudicaui scribere tibi de ipsa, ut nihil tibi deficeret eorum quæ à nobis cognita sunt. Est autẽ sermo hic de minori centaurea. Succosatur autem hoc modo: Lebes proponitur magnus, sicut quando fit ἕψημα, id est coctum, & ponitur centaurea minor, tempore quo fiunt opora, & aqua superinfunditur tanta, quanta sufficit continere herbam, & tunc supponitur ignis, & coquitur herba sufficienter: demum postquam bene cocta fuerit, ut uirtus tota sit emissa in aqua, auferẽ centaurea, & exprimitur, & mensuratur decoctio, & tertia pars decocti superinfundit̃ ei, & coquitur quousq; habeat spissitudinẽ mellis. Ego autẽ sicut prædictus senex coxi eam in lebete, & auferens, & exprimens incidi eam, & iterum coxi in aqua. Deinde exprimens & colans mensuraui, & iunxi uini dulcis decocti optimi tertiã partem,
B & coxi quousq; habuit cõsistentiã, & feci ualde fortiorem huiusmodi cõfectionem. Et ille senex laudauit. Fit autẽ & absq; aqua, huiusmodi herba incisa & expressa. Et fit etiã de flore eius succositas, inciso eo & expresso, & cõfert in ophthalmijs. Oportet uero attendere ne in decoctione induretur: post hoc autem dimitte infrigidari, & repone in uase, & obtura diligenter. Est autem huius succositas ut sensibiliter est dicere stiptica, & siccatiua, & calefactiua, cum uirtute occulta operans, quam nõ est possibile exponere uerbo, neq; ad excogitationem uenire, ita est utilis ad multa. Valet ad passiones capitis, quę ex multa adustione solis fiunt. Quando permiscetur & inungitur, ualet ad cancros oculorũ, & ad pruritum oculorum, ad passiones item auriũ, & passiones narium, ad passiones oris & partium eius, ad liuiditates oculorũ, ad pudẽda, ad phlegmones ani, & exitui eius, ad ungues quassatos, ad sudores, erysipelam, & exflorationes, ad herpetem, ad cõbustionem ignis, ad hulcera cronica, ad plagas omnes, ad apostemata incisa, ad feras uenenosas omnes, ad tusses: purgat cholerã cum melicrato, & soluit crassos & uiscosos humores in quantitate auellanæ cum aqua. Iuuat asthmaticos, cõfert dysentericis, & dysuriæ: iuuat matricem, mundificat uterum immũdum in quantitate unius auellanæ cum aqua. Modum autem utendi in omnibus, in textu Galeni inuenies.

CAMPEGIVS.

Chiron pater Tethidis & auus Achillis, qui plurima medicinæ adiumenta inuenit, in primis centauriũ herbam reperit: maxime peritus fuit eius quam chirurgiam uocant, à Chirone (quemadmodum centauriũ) denominatam: uel potius à manu quæ gręce χείρ dicitur. Est & centauriũ paruũ. Huius radix prorsus inefficax, inofficiosaq; est. Rami uero cum folijs efficaces, flores autem ex ipsis utilissimi sunt. Dominatur uero in ipsis amara qualitas, parum quiddam participat acerbitatis, & ob hoc ualde ad arefaciendum præsentaneum remedium absq; lancinatione.

C De Theophilo, qui in animata uirtute deficiebat. HISTORIA XIII


IBRO tertio De accidenti & morbo, Galenus inquit: Contingit Theophilo medico, ut cũ infirmaret̃, nihil ex uirtutibus animatis amisit: unũ tamen patiebatur, nam in angulo domus suæ putabat cantores & tibicines esse, necnõ & organa mouentes: quosdam etiam cogitabat sedere, & quosdam rectos stare: omnes eos tamen die noctuq; à cantu & sibilo nequaquam cessare: unde præcepit eis domum exire. Cum autem sanaret̃, narrauit quæcunq; uiderat & audierat, necnon & uisitatores, sana tamen mente. Alij uero nihil mali imaginãtur, sunt tamen rationis immemores, quia memoratiua uirtus animæ in eis patitur: sicut contingit cuidam homini, qui claudens ostiũ domus in qua erat, cœpit uasa quæ domi habebãtur, foras per foramina domus ostendere, rogans euntes ut ea proijci iuberent. Vas tamen unumquodq; suo proprio nomine nominabat. Ideoq; monstrabatur memoriã eius nõ esse corruptã, eo quod recte singula uasa nominabat: nec imaginatio extitit corrupta: q̃d tamen damnũ (si eijcerentur) contingeret, ignorabat, ideoq; erat insanus. In actione uero memoriali quæ in anima eius sistit, quadam orta infirmitate uel curata, fiunt accidentia, quod testatur sermo Thucydidis. Dixit enim in quodã suo libro, quod pluribus hominibus transacta pestilentia, tanta fuit obliuio, q̃d parẽtes & amicos traderent obliuioni, & etiã seipsos.

CAMPEGIVS.

Paulus Aegineta inter medicos autor egregius, omnes qualitates in aëre noxias inueniri posse affirmat, quibus humana habitudo in hunc morbum prolabi potest. Inuenti enim sunt ętate nostra in Gallia, qui extrema senectute rapti sunt, qui prius iuuenes in maximis pestilentijs tuti fuere. Variæ enim causæ sunt, ex quibus uarij effectus proueniunt.

De perforatione corneæ in quodam puero. HISTORIA XIIII

D
Cap. I


ALENVS quarto De accidenti & morbo inquit: Equidem uidi incredibile quidpiam, & quod antea nunquam uidere consueueram. Puer cum iuxta pupillam stilo pungeretur, effluente protinus aquoso humore imminuta est pupilla, ac ceratoides tunica corrugata uidebatur: qui mox curatus uisum recuperauit, instaurato scilicet paulatim humore, qui antea effluxerat. Sed huiusmodi euentus raro cõtingit, quippe huiusmodi uulnera magna ex parte cæcitatem inducunt.

De his qui ex siti multifariam cõciliata defuncti sunt. HISTORIA XV


IBRO eodem, capite septimo, apud Galenum sic scriptũ est: Prauas uero potiones, quemadmodũ & prauos cibos, appetunt aliqui, pro uitiati humoris, qui uincit in ipsis, ratione. Huiusmodi symptoma ijs, qui diutius malo uictu utũtur, euenire consueuit. Sunt qui in exhausta siti cruciantur, de quorum numero mori uidimus, & eum qui uiperam deuorauerat (erat autem fortasse dipsas) & messores, qui forte fortuna uinum biberant, in quo huiusmodi quædã fera fuerat extincta: & eum qui ex ueteri uino fuerat inebriatus. Item eum qui sitim tolerare decreuerat: deniq; eos, qui in naui deficiente aqua, marinam aquam bibere ausi sunt, quod siti immoderatiore q̃ reliqui, cruciarentur: etenim soluta aluo, ac torminibus uehementer cruciati, celerius quàm reliqui interierũt. Noui etiam quendã ardẽte febre laborantẽ, qui increscente etiamdum morbo, aquam frigidam liberaliter bibens, satiari non potuit, donec moreretur. Itaq; circa uentriculi appetentiam huiusmodi euenire possunt errata.

CAMPEGIVS.

Vehementi siti laborãtes, quatuor accidentiũ periculum à potione subire solent. Vnum

A Vnum, & quidem primũ uomitio est. Alterũ, uelox per aluũ excretio, aut fluore, aut intestinorũ lenitate. Tertium, quod potus sæpenumero diutius quàm par est, in uentriculo manet. Quartũ diabetem, siue dipsacon, siue urinæ fluorem. Neq; enim ut idoneũ ei nomen imponamus, sed ut curationis uiam, tum ex loco affecto, tum ex ipsa dispositione inueniamus, scrutari animus est. Atq; alius interdum affectus occurrit diabeti perquam similis, & quidem à multis cibis, qui neq; concoquuntur, neq; per aluum deijciuntur, neq; plenitudinem efficiunt, neque etiam probe alere possunt, sed dissipantur, discutiunturq;.

De illis qui existimant corpus nostrum à nutrimento non posse pati. HISTORIA XVI



SEXTO De accidenti & morbo, cap. primo, Galenus sic scribit: Sunt qui nutrimentum mutare corpus nõ posse, quod ab eo nutritur existiment: eo quod hæc natura scilicet nutrimentũ, uidetur illis tantũmodo significare rem mutabilem & nõ mutantem. Secũdum rei ueritatem, hoc nequeunt affirmare. Quid enim dicturi sunt de arbore illa transplantata de Persia in Aegyptum: quæ cum in solo Persarũ foret mortifera, in Aegypto absq; nocumento reddita est, & quæ de qualitate pessima, mutata est in bonã. Illud idem in nostris cernimus uineis, quia cum de loco ad locum uites transferũtur, fit uini sapor diuersus. Docent quoque georgici de agricultura tractantes, quod arbores & nascentia cum loci mutatione mutantur, adeò ut si illa transplantentur, ut in quartã miliarij partem, quod maxima mutatione, ipsa eadem mutarentur.

CAMPEGIVS.

Persica dicta, quod è Perside in Aegyptũ fuerint aduecta. Quemadmodũ cydoB niam à Cydone oppido Cretæ, & pruna ex Damasco Syrię. Et cerasus à ciuitate Cerasium Ponti. Duracina Persica præ cæteris in precio sunt: his corpus ligno adhæret, auelliq; nequit, cum in reliquis facile separetur. Complexio regionis non solum in arboribus & plantis, sed etiam in hominibus & animalibus omnibus facit uarietates, ut specie nonnulli differre uideantur: quod de animabus hominũ Platonici concedunt. Insequi præterea uident & nationes sua uitia ob alimentorũ & terrę diuersitatẽ: unde Ligures uani, Latini superciliosi, fortes & natura feroces Galli, Itali graues, Germani fortes, Angli inurbani, iactabundi Hispani, Pœni fœdifragi. Citatur à Paulo apostolo Epimenidis poëtæ Græci, uulgatus ille de Cretensibus sermo:

Complexio regionum.

Nationum oresm.

Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, uentres pigri.

Nec Empedocles & Epicurus mali philosophi, nec Anaxagoras & Parmenides, minus quàm Plato & Aristoteles per discendæ philosophiæ studiũ impendisse putandi sunt: sed minus habuisse fauoris à natura & regione, propterea illi sunt ignobiles. Isti inter sapientes heroicos honorãtur: licet enim bene mori nostri sit arbitrij, tamen bene nasci & bene educari nostræ non est potestatis.

De Mænandro amico Galeni febriente, & de iuuene desipiente. HISTORIA XVII



GALENVS in lib. De causis procatarticis sic scribit: Sicut uidem⁹ in theatro, contingit enim mille sedentibus æstuare quatuor, & horũ ipsorum unum aliquem febrire, & nõ omnes: Sicut & amicũ nostrum Mænandrum pridie exire quidẽ à stadio post agonem, dicentem caput dolere: parum uero post febricitare incipiens. Hunc uisitantes nos secunda die manè, iussimus quidem, ut nosti, fomentare rhodino caput, deinde dormire, & post balneari plurimum, nihil timendo, etsi ad huc uideatur aliquid febris remanere. Alijs uero medicis expectandũ uidebatur, & uiden dum cuiusmodi futurus esset paroxysmus

qui per tertiũ fiebat. Verbis igitur plurimis motis, quorũ gratia tibi scribi à nobis po stulasti hæc, quia neq; illi nos, neque nos illos poteramus permutare, autoritatem electionis in laborante cõmittentes, omnes recessimus simul. Parum uero post quidam famulus Mænandri ueniens ad nos, redire ad domum rogabat domini sui, & nos obedimus. Erat autem Mænander ille rector, non sic rudis existens, ut rationes dictas non assequeret, uel non cognosceret plus posse ueriores, uel quod dissonantiam, quæ in rationibus experientia est, maximus indicatorũ, ignoraret: nec obliuisceretur eorum quę perfecta sunt, quando eum qui in labore febricitauit, iuuenem

Exemplum Secundum. in balneo lauans sanaui cõfestim, alijs medicis prohibentibus. Aliũ uero, ut nosti, similiter illi dicens ab æstuatione febrire, sanaui balneis pluribus. At quoniã dubitantibus illis primo, & timentibus, & ignorare cõfitentibus ad quid finiret ęgritudo iuueni qui desipiebat: Ridens ego, hæmorrhagiã patieris parũ post ex naso dixi, & totaliter liberaberis ab ægritudine. Illis uero deridentibus, & talia diuinare dicentibus esse impossibile, repente dextra naris effluxit sanguine: & quoniã sudorẽ prædixi, & prouenit. Sic & per uentrem euacuationem multã, & uomitũ, & coma, & multa

Tertium. alia talia de natura ægritudinũ & cura. Nosti autẽ & alium adolescentẽ tantum nõ pereuntem ab huiusmodi medicis, qui existens cholericissimus & calidissimus, deinde ambulans cõtense per æstum multũ, & regionem profundã & arenosam, uenit ad gymnasiũ siccatus. Cum autẽ esset unctus & fricatus (etenim gymnasticus erat adolescẽs ille) alius qui similis ætatis est, cõplexus eum, sicut plerũq; fit, exacerbauit eum intantum ut obliuisceretur, quoniã postq; esset fricatus unctuose præiacebat, & luctauit amplius. Cum etiam esset balneatus, & iret domũ, tertiũ ei multomagis incõueniens anterioribus cõtingit: obuians eñ quibusdã amicis rixantibus, & iam

D se percutiẽtibus, conatus fuit eos dirimere: exinde igitur siccatus est totaliter, & horrorem patiens, iam & aduri putans, ad suam iuit domũ, et decubuit. Sequenti igitur die ad hos mirabiles medicos incidens, necessariò eum, qui ad sequentem diem tertium debet fieri à principio, paroxysmum expectare iusserunt, nobis tamen consulentibus quamcitissime balneare eum maxime pinguissime, & cibare humidissime.

Quartum. Nosti igitur qualiter imminente eo, qui per tertiã, paroxysmo, omnifariam sine pulsu factus est, & infrigidabatur, & moueri, & transferre seipsum nõ poterat, à siccitate autem simul & imbecillitate, quæ secundũ uirtutem, neq; os mouere poterat adhuc, & neq; linguam, neq; loqui quantumcunq; modicũ. Venit autẽ ex necessitate ad nos famulus, rogans ire & iuuare adolescentẽ festinanter. Postq; autẽ ipsum marasmatum uidimus, uix sanauimus pluribus deinceps diebus sicut nosti & ipse, qui uidisti hæc dum fierent, inopinabileq; uisum est omnibus medicis: scriptũ enim non esse id ab aliquo anteriorũ aiunt, & extimant nostrę temeritatis esse, scilicet ante immissionem paroxysmi, cibare simul, & uinum dare adolescenti.

CAMPEGIVS.

Si quis in acuta febre animo ob ariditatẽ & imbecillitatem deficit, quemadmodũ fecit in adolescente isto Galenus, reficimus, nec largius quidem: in alijs febribus cibus offerendus nõ est. Nam quod nõ integro corpori infertur, facile corrumpitur. inter omnia tamen tempora inclinante febre minus damnatur: Instante morbo satius est, quàm incipiente: omni tamen tempore defectis subueniendum est.

De quodã medico febriente, & de rigore quartanæ. HISTORIA XVIII



LIBRO De tremore, iectigatione & spasmo, cap. vij. Galenus ita scripsit: Vidi iuuenem medicũ, qui inchoante autumno, multũ quotidie butyri recentis, & dactylos imperfecte maturos comedebat, & ante ingressum balnei & post. Primo igitur quãdo exercitabaẽ corpus suum & balneabatur,

A batur, impediebat eum post exercitiũ & balneum fortis horripilatio: propter hoc timens febricitationẽ stimulatus est ad iacendũ, & cooperuit se diligenter cum pannis, & quieuit sic tota nocte. In crastino uero cum nõ febricitaret, rediit ad exercitiũ consuetum: cumq; iterato raperet ipsum horripilatio, reuersus est ad iacendũ, & seruauit ociũ & quietem usq; ad horam balnei. Cum uero uellet se balneare, arripuit eum horripilatio fortior, & fuit quasi rigor leuis, nec dubitauit se in febrem tũc proculdubio ruere. Reddidit ergo corpus suũ quieti plus q̃ antea, & ocio, quia expertus est die noctuq;, quod cum debiliter mouebatur, horripilatio accidebat ei. Quando uero fortiter manifeste rigebat, uenit ad me quærẽs quid esset facturus. Ego uero recordatus q̃d simile huic accidit in patria mea, uocata Basia, cõsolatus sum eum, & expuli timorem ab ipso, & præcepi ei ut uteretur cibis & potibus & medicinis calefacientibus & incidentibus crassos humores, per quæ adiutus est, & quieuit accidens. Nec admisi post hoc proximare, quibus contingit nocumentum, in principio suæ manifestationis medicinã omne genus piperis capientem, & post hoc medicinã factã de fluuiali mentastro, aut assa fœtida, aut castoreo, quod est ex ulteriorib⁹ medicinis febricitãtibus quartana maxime cum intensa frigiditate, & forti frigore. Nõ est igitur mirandũ de antiquis medicis, quãuis inueniantur in libris suis dicere, quod cum rigor accidit nõ ex frigiditate aëris, causatur motus eius à dispositione inuenta per se in corpore, quę proculdubio rigorẽ causat sine calore. Antiqui enim nec multum utebantur balneo post refectionem, nec multũ uacabant ocio & quiete, quare nec occurrebat eis accidẽs simile supradicto. Nostri uero temporis homines seruãt ualde supradicta ambo in regimine suo, ꝓpter quod occurrit eis huiusmodi rigor, scilicet quem non sequitur calor, & est accidens ualde extraneũ & mirabile, & causatur etiam propter mutabilitatẽ regiminis, & omnes quibus hoc accidit, inueniuntur habere sub hypocondriis & latere dextro tactũ grauitatis & plenitudinis in hepatis regione. Est autem manifestũ quod accidit, quando obturãtur uenæ quę sunt in hepate ab humoribus crassis. Quemadmodũ iste cui nocumentum accidit, sentit pondus & plenitudinem, similiter accidit ei qui sentit rigorẽ aliter quàm tertianarii & quartanarii sentiant. Et quia patientes quartanã, opinantur quod rigor qui accidit eis in febribus, similis sit rigori qui accidit quandoq; in forti febre: qui nõ affliguntur tertiana uel febribus cõtinuis, extimant plures in rigore quod carnes eorũ perforentur subtilissimis acubus & acutis. Ego etiam expertus sum in meipso rigorem quartanæ & alium etiam, etenim in biennio quater febricitaui tertiana. Semel autẽ febre continua cõbustiua. Vnde potui qualitatem percipere rigoris in his febribus accidentibus. De rigore uero quartanæ pluries dixit mihi, eam patiens, quod quando est fortis, peruenit usque ad ossa, & qui est similis rigori causato ex aëre frigido quãdo est forte frigus. Potest etiam addi ad differentiam rigoris quartanæ, & rigoris tertianæ, q̃d tertianarii multũ sitiunt, & in profundo corporis sentiũt calorẽ in horis rigoris, quorum duorum nullum inuenitur in quartanis hora qua accidit eis rigor.

Exemplum secundum.

B

Galenus tertiana febre correptus.

CAMPEGIVS.

Quartana febris ut plurimum nõ statim principio cum rigore inuadit, sed quandoq; ex aliis lapsus est aberrantibus, & quę sine ordine dicunẽ, in hanc. Procedente autem tempore gignĩ rigor. Sensus autem languentibus nõ est cõpuncta & uellicata cute, sicut fit in tertianis, sed refrigeratis, & uehemẽter perturbatis ad ossa usque. Ita nanq; à Galeno audias, qui ab ea teneantur febri dicere, ut ossa quati, & caro tota, uideatur. Quartana febris longe diuturnior tertianis est, tum quia minus bilis habens æstum afferentis, tum quia corpus amplius refrigescit, quod ab atra bile id superãtis materiæ proficiscitur, ac difficulter euellitur. Nam cum ea inter omnes corporis humores lentissima & glutinotissima sit, diuturniores sedes constituit.

De quodam philosopho qui tradidit librum in quo ostendit qualiter homo fiat insenescibilis. HISTORIA XIX



ALENVS in libro De tabe siue marasmo, in hunc modū scribit: Quidam senex philosophus scripsit librū, ostendens qualiter liceat insenescibilem permanere aliquē omnino. Tradidit ergo librū quadragenarius existens: extensus est aūt usq; ad octoginta annos, & erat ita gracilis & siccus, ut coaptaret ipsi Hippocratica series in prognosticis: nasus acutus, oculi cōcaui, tēpora collapsa, aures frigidæ & cōtractæ, & imis partibus leuiter inuersę, & cutis quæ secundū frontē dura & circūtensa & arida. Quoniā igitur derisus hic talis est uisus, ideo alios homines conatus est docere qualiter utiq; quis insenescibilis permaneret. Secundā quoq; traditionē fecit de admirabili insenescibilitate, sic nominauit ipsam inscriptionē. Insuper ostendens quod non omnis homo insenescibilis potest permanere, sed utiq; qui ad hoc & naturā habēt aptam. Maxime igit si primū nutrimentū tale immissum fuerit, ut fundamentū, & procurauerit infantes ad hoc aptos cōfestim ex principio constitutos, immortalia horū facere corpora, & horū reelectū horū repromissū. Primū nāq; uirilizare infantes quos suscepit, dehinc aūt hoc coextendere debuit. Hi igit oēs ultimā ipsius fatuitatē recognouerūt. Ego uero nō, sciēs quia multa & alia dogmata cognoscenda per experientiā, & certamina plura rationabiliū uirorū omiserunt, suasibilitate sermonū decepti. CAMPEGIVS.

Experientia nos docet, senectutē quemadmodū & mortem esse necessariam. Est enim moriendi necessitas, quod uidelicet ex cōtrarijs cōstamus elementis, quæ assidue & agendo & patiendo inuicē corrodūtur. Verū hæc ratio breuitatē quidē uitę, mortalitatē uero nō ostendit. Cōstat enim diu stare nō posse, quod assidue defluit. At si non ex cōtrarijs elementis, sed ex uno tantū plasmaretur corpus, elementorū cōtrarietas ablata esset, non tamen mortalitas. Corruptibile enim est corpus, siue ex uno elemento cōstet, siue ex pluribus. Ipsa nanq; elementa suapte natura morti & corruptioni subiecta sunt. Nō enim puto aquam si sola esset in mūdo, & ab aliorū elementorū cōtrarietate libera, fore incorruptibilem. Aliam mortis necessitatem à numero animarū propè infinito Plato, Plotinus atq; Porphyrius tradūt. Aiunt enim materiam tot corporibus simul gignendis nō sufficere, quot animæ sunt, fuerunt & futuræ sunt. Et propterea ut aliæ succedant, oportere priores abscedere, & corporū suorū materiam nouis animabus quasi domū nouis habitatoribus tradere, ut spirituum naturaliū numerus impleatur. Velle igitur semper uiuere (si uera hæc sunt) nihil aliud est, quàm materiā alijs animabus debitam plus æquo uelle occupare, & futuris impedimento esse ne nascātur. Quod quàm improbū sit iudicemus nos, qui nondū nati essemus, nisi maiores nostri iam decessissent. Constituit ergo secundū hos deus breues dies hominis, ut certi temporis curriculo omniū summa prodeat animarū. Tu ergo quicunq; es qui male uiuendo membra tenes in seruitute peccati, memento corporis tui materiā expectari ab anima fortasse meliori, cui quod diu uiuas infertur iniuria, si eius creationi tuæ obscœnæ uitæ obstat longitudo.

De magno spiritu significātē desipientiā, ut fuit in Phylisco, in filio Siluij, uxore Dromeadij apud Hippoc. Et de spiritu subspisso, paruo & spisso. HIST. XX



APVD Galenum libro secundo De dyspnœa, capite secundo, cum de respiratione magna & rara inquit: Vxorem Dromeadij, quę peperit filiā, alijs factis secundū rationē, secūdiduanam existentem rigor assumpsit. Deinde parum procedēs, ait, spiritus rarus, magnus. Hæc quidem igitur mox in prima dierū ita scripsit Hippocrates. Rursus aūt de sexto die loquens ita scribit: In sexta manè superriguit, citò autem calefacta est, sudauit per totū, extrema frigida, desipuit, spiritus magnus, & rarus factus est. In primo quidē Epidemiarū cum

A xvi. uniuersos infirmos scripserit Hippocrates, quater apparet memorãs rari & magni spiritus. Isti autẽ generosi sophistæ à principio neq; uidisse aiunt unq; magnũ & rarum spiritũ respirantẽ. Hippocrates uero aliter cognoscebat. At ille quoq; in prognostico scripsit hoc modo: Magnus aũt & per multũ tẽpus fiens spiritus, desipientiam significat. Quẽ ẽm in primo Epidemiarũ nominauit rarũ, hunc in Prognostico nominauit permultũ, in locutione transmutans nomen: nanq; infirmis illis in quibus magnũ & rarũ ait fieri spiritũ, cum alijs symptomatibus scribit & desipientiam. In primo enim omnium Phylisco hoc modo: In nocte difficulter tolerans non dormiuit, per omnia desipuit. Ita quidẽ dixit in tertię diei narratione. In quintæ uero diei narratione, rursus somni parui, uerba & deliratio. In secundo uero infirmorum, cuius nomẽ erat Siluius, in narratione quidẽ secundę diei ait: Parũ desipuit. In ea uero quæ tertię, uerba multa, risus, cãtus retinere nõ poterat, deinde inferẽs dicet per eadem. Quoniã itaq; Phylisc⁹ & Siluius desipuerũt, ita meminit. De uxore uero Drômeadij, etenim & hanc rarũ & magnũ respirare hoc modo scripsit: Circa mediã aũt diem multũ desipuit, & rursus citò parũ intelligebat. Ita quidẽ in quinta dierũ. Dein de infert: In nocte uero dormiuit, desipuit. Eodem aũt modo & quæ per sextã diem facta sunt scribens, sic ait: Extrema frigida, desipuit. Ita quidẽ in primo Epidemiarũ, ubicunq; magni & rari spiritus meminit, ibi & desipientiæ memoriã facit. Rationabiliter igitur & in libris Epidemiarũ uxorẽ Dromeadij mori ait, in his quæ dixit, scilicet spiritus rarus magnus, confestim subuulsus: ubi utiq; & mirari maxime conuenit, quomodo alterutra dyspnœarũ suam propriã innuebat dispositionem: non enim fuit spasmata solũ illa mulier, sed etiã desipuit, tanq̃ ea quæ nõ habuit solã propriam spasmorũ dyspnœam, sed etiã eam quę desipientiæ. quare? quoniã quidẽ sciebat hanc inæqualem dyspnœam. Et rursus ita scribit: Vxorẽ Seonitrei quã nuper

B emptam uidi ego, cui durities in dextris erat magna, nõ ualde dolorosa: rationabiliter infert nõ ualde dyspnœosa: si ẽm durities nõ erat ualde dolorosa, rationabile erat neq; ualde dyspnœosam esse illam mulierẽ. Ita autẽ & iuxta finẽ libri de sene enarrans Hippocr. deinde prædicẽs intulit, nõ ualde dyspnœosus erat: semper enim secundũ magnitudinẽ causæ, quæ operabaẽ dyspnœã, fit & eius magnitudo. Sed hæc quidẽ sunt in secũdo Epidemiarũ, cõcordantia eis quæ à nobis de dyspnœa demonstrata sunt. In quinto uero, decimusquartus à principio infirmus scriptus est hoc modo: In Larissa Hypostenes peripneumonia uidebaẽ medicis cõtineri: non erat autẽ: principio aũt luctans cecidit in loco duro supinus, & supcecidit in ipso, & balneatus est frigida aqua, & remãsit, & uisus est grauior fieri: in secũdario febriuit, et tussis sicior erat, & spiritus spissus. Deinde parũ procedẽs ait: Quãdo aũt tussiebat, dolebat pectus & dorsum. Nullũ igitur mirabile est ita dispositis eis, quæ secundũ thoracẽ, spissum fieri spiritũ. Quod uero in fine sermõis adiacet, scilicet neq; stertitionẽ habebat, ad probandũ dixit, q̃d nõ erat homo factus dyspnœosus. Cõcordat aũt & hoc cum eis quæ secundũ principia in hoc sermone à nobis dicta sunt, quãdo in libro de dięta acutarũ exponebamus seriem istã: Hi uero ab orthopnœa & stertitione suffocati. Nonus autẽ & trigesimus infirmus, scriptus est in quinto Epidemiarũ, spissum habens & ipse spiritũ. Scribã aũt & hic seriem ita habentẽ: Infans à montano percussus uentrẽ & hepar, mortuus est quadriduanus, spiritũ spissum habebat, et nõ intelligebat, & febrẽ habebat. Nõ est immanifestũ in hoc peritonæũ & diaphragma conphlegminare uentri, & hepati, & propterea desipere infantẽ: nõ tamẽ dyspnœa laborauit secundũ desipientiã: maior ẽm dispositio quæ erat secundũ hypochondria, figurauit secundũ se speciem respirationis: illa uero quæ minor erat, uicta fuit.

CAMPEGIVS.

Præ omnibus autẽ uos meminisse uelim, magnę respirationis geminas esse diffe

C rentias: fit enim interdũ ob dilatationis à thorace procedentis magnitudinem: interdum uero ob inspirati aëris multã essentiã. Scitis nimirũ quod sæpenumero uos admonere solet Galenus earũ rerũ, quæ à prioribus omissæ sunt. Igitur quicunq; sine inflãmatione, uel omnino sine aliquo præter naturã tumore, aut angustia spiritaliũ instrumentorũ, per febres ardentes, difficulter spirant: ijs inspirati aëris quantitas, magnitudini dilatationis thoracis, proportione respõdet. Quibus uero, inquit Galenus, uel tumor uel angustia sine flammeo calore in spiritalibus est, in his thoracis quidem dilatatio maxima est: id uero quod inspiratur, nõ solum dilatationem proportione nõ assequitur, uerumetiam minus quàm secundum naturam inspirari solet, attrahitur. At sine distinctione, unam dispositionem ostendit magna thoracis dilatatio, si raritatem simul acceperit. Verum, ut Galeno placet, animaduertere oportet ne aliquãdo in hac decipiamini, putantes eam spirationem, quæ ob uirium imbecillitatem (ut in uxore Dromeadij) omnibus agentibus musculis efficitur, eandem esse cum magna. Quam equidẽ, ut clarior esset interpretatio, sublimem uocare uoluit Galenus. Nam in eius tum animum uenit, ut perpenderet Hippocratem sublimem uocare spiritum, eum qui altioribus thoracis partibus inspiratur: quemadmodum cum inquit: Magnus spiritus & ex longis interuallis, delirium declarat. Constat enim magnũ pro multo dixisse. Is uero bifariam fieri potest, uel sine superiorũ musculorum actione, uel ipsa quoq; concurrente. Nam plerunq; intercostales musculi, unà cum septo transuerso, ad multam thoracis eleuationem qua multus spiritus alliciatur, superiorũ musculorum auxilio non indigent. Quod uero huiusmodi eleuationis species delirium portendant, in libris De dyspnœa ostendit Galenus, ubi etiam cuiuslibet difficultatis anhelitus dispositio declarata est.

D De illis qui negligunt animales actus, nisi reducat quis ad memoriam. HISTORIA XXI



GALENVS libro primo De dyspnœa, capite viij, ita scribit: Ita & qui decipiunt ceu ut puto mentem in phantasmatibus, sicut aliquibus, negligunt animales actus, & neq; mingunt, nisi reducat quis ad memoriam, neq; egerunt, neq; comedunt, neq; bibere petunt, neq; quippiam taliũ agunt. Si uero contigerit aliquando petere, interim obliuiscuntur, & rursus ducente ad memoriam ægent. Multos enim scimus qui petũt urinale, dato autem eis non minxerunt, sed ociose manibus tenuerunt. Alios autem qui surrexerũt quidem ut egererent, deinde sedentes obliti sunt finaliter, & nihil operati sunt, quousq; astantes reduxerunt eis ad memoriam. Sicut autem intra multum tempus faciunt actus hi omnes, ita & magnos: repente enim mingunt quammultum, & bibũt semel ultra commoderatum.

CAMPEGIVS.

Cum uel perijt, uel grauiter læsa est memoria, frigida omnino intẽperatura est, quocirca calefacere ipsam oportet. At uero exiccare aut humectare non necessariũ est: sed si humiditati copuletur, arefacere: si ariditati, madefacere. Cæterũ si inter has medium obtinet, ipsum cõseruare oportet. Equidem nouit Galenus quendam, qui ob laborem in studijs, atq; uigilias, memoriã penè amiserat. Item pari modo agricolam uidit, qui ob labores quos uites colendo subierat, ac tenuem uictũ, eodem modo affectus est: atq; ij exiccantibus, calorificisq; lædebant. Madefacientia uero, quæ calefaciendi quoq; uim haberent, haud mediocri ipsis erant præsidio. Interdũ uero ubi principales actiones læsæ sunt, febris quoq; accidit, ut in Phrenitide & lethargo: interdũ sine febre uitium est, ut in mania & melancholia, id quod modo per consensum, modo primaria affectione cerebro laborante accidit.

LIBRI TERTII FINIS.

IN CLAVDII GALENI PERGAMENI HISTORIALES CAMPOS, D. SYMPHORIANI CAMPEGII, EQVITIS AVRATI ET MEDICI CLARISSIMI, COMMENTARIORVM LIBER QVARTVS.

A

Cur Galenus uitam in studio inueniendæ ueritatis consumpserit. HISTORIA PRIMA



ALENVS, quem maxime secuta fuisse uidet tota medicorum cohors, cum libros De ingenio sanitatis inciperet, in quadam eiusdẽ principij particula ita scribit: Primam enim sapientiam uerã dico, quæ diuinorũ uidelicet est, & humanorũ, adeò ab terrenis hominibus existit remota, q̃d ipsis eam negligentibus nullatenus esse uel inuenire credat. Scientiã uero medicinæ, rhetoricæ, geometriæ, musicæ, & cęterarũ esse intendunt, eas tamen ad perfectionẽ scire despiciũt. Multi enim qui dicebant se meos esse amicos increpabant me, dicentes: Cur uitam finis in studio inueniendi ueritatem, cum nullum iuuamen tibi uel amicis tuis inde tribuat? Et quare diluculo principes & dominos uisitare nõ festinas, similiter & ad uesperã, & cũ eis non cœnas? Nam omnes artifices & sapientes huiusmodi studiũ sequentes, amorẽ & honorẽ ab hominibus acquirunt, ab eis quoq; creduli efficiũtur, non tamen propter perfectionem suæ artis uel scientiæ. In his tamẽ tẽporibus nullus rei ueritatẽ acquirit, eo quod quaq; die summo mane primitus ad principes euntes, deinde ad sua munia distracti, quidam uadunt ad forũ, nonnulli ad mansionem iudicũ, aliqui uero ad palæstram & pegasonem, plurimi ad ludũ aleorũ & trochorum, nonnulli ad lauacrũ, & ad omnia corporis delectationem inferentia. In manè uero coadunantur in bibendo uinũ: unde dum huiusmodi crapulositatis repletione detinentur, nullatenus in studio prędictorum artiũ exercendo mentem inducũt. Sed antiqui nõ in aliquo loco causa bibendi manebant, sed exercitabant Musicã & disputationes artium liberaliũ. Laudabilior tamen extitit de prędictis, qui magis omnibus & in maiori uase bibere poterat: quo circa dico eum manè ebriũ inueniri, & odorẽ uini in ore eius, ueluti si in eadem hora bibere sentiretur. Is ergo cum inceperit infirmari, perfectos medicos minime inuitabit, eo quod in sanitate scientiam eorum inquirere neglexerat: inuitat ergo amicos & notos, suæq; uoluntati obedientes, ut dum quærit eis frigidã aquam, uel balneũ, siue niuem, licentiã in quocunq; uoluerit habeat, sicut facit seruus domino suo, ei uidelicet in omnibus uelit nolit obediẽs. Sed antiqui dicũt, ut dictis medicorũ obediant infirmi, ueluti si essent serui: non tamen infirmis medicos subijci, uel quasi seruos emptitios fieri. Perfectus igitur in scientia nequaquã ab eo diligitur, nisi is cuius adulationibus ei complacentibus exultet. Is autem ei citò conciliabitur, & amicabilis efficietur, citoq; diues per eum existet. Quod Thessalus infamis cognoscens, cœpit Romanos principes & potentes diuites adulationibus extollere, promittens artem sex mensibus posse ostendi. Ideoq; in paruo tempore multos discipulos coadunauit. Verũ si posset fieri, quod is uituperatus promisit, dicẽs in medicina discẽda nihil dialecticæ, uel geometriæ, astronomiæ & cæterarũ liberaliũ artiũ esse necessariũ, nec etiam esse necessitatẽ diu exercendi medicinã, sed per experimentũ facile unusquisq; medicinam discere posset: Festinarent ergo coriarij, carpentarij, & ferrarij in ea discenda, suas artes postponentes.

B

CAMPEGIVS.

Vere quod Galeno quondã, id nobis quoq; sępius cõtigit. Quando & amici mei aut qui uerius amicitiæ simulacrum gerebant, & frater meus Christophorus Cam=

C pegius Regiparę medicus, & coniunx mea, cęteriq; omnes mihi sanguinis uinculo cōnexi, graui quasi uerborū bombarda animū meum à scriptionis meditatione deturbare conati sunt, lucellorū captatiunculā uanam & fugacē, scriptorū æternitati longe præferentes. Quibus uerbis quãuis tonitrualibus, uento tamen leuissimo somnijq; delyrio cōparatis, à literarū cum delectabili tum fructuoso ocio nō tantum abstractus non sum, sed ne digituli quidem transuersi latitudine dimotus, nec inde dimoueri à quoquam potuero, donec mihi uita manebit. Quid in expeditione illa trāsmontana, in qua inuictissimus rex noster Franciscus, huius nominis primus, de Heluetijs illis fortissimis quidem, ceruicosis tamen & contumacibus trophęū retulit opimum, nónne literas à meis recepi, quibus immodica damnabar reprehensione, quod in tumultu bellico quotidie me scribere audiuissent: & à pecunijs aucupandis lucellisq; sectandis omnibus uijs & gressus & cogitationē diuertisse: Quibus sanè respondi, ut ęquū erat, multos in tantam incidisse dementiam, nedum inertiam, ut frugibus inuentis glande uescant: alios curæ habere, sese neglectui. Gallus enim Aesopi hyacinthū cōtempsit, escā uero potius q̃ hyacinthū inuenire maluisset. Vxori uero meæ scripsi, ut & colum & pensa & fusos & spondilos & glomera & rhombos & id genus suæ artis reliqua tractet, neq; hæc excedat, ne sutoris illius deridiculi notam incurrat, crepidam transcendere inepte uolentis, ad quod non ignobilis ex recentiorbus poëta hisce elegantissimis alludit carminibus:

Sartorem pictor dicacem mordet Apelles,
  Quis presso risum callidus ore tenet:
Choaq; Pyrgoteles si rodat pharmaca sculptor,
  Et doceat Martem rustica lingua deum.
Quid ue sacrum carpat si sus immunda Mineruam,
D   Mæoniumq; terat Zoilus alter opus.

Quocirca neq; silentio præterire dignum duxi Iulium Cæsarem, & Octauiū Augustum, quorū alter cum exercitu proficiscens plurimū lectitare, & si quo temporis momēto in castris morabat̃, libros accuratissime scribere solebat: Alter in Mutinēsi bello rem tantam adortus semper aut legere aut scribere, quotidie etiam declamare cōsueuerat. Quod si corporeo robore fultos, qui bello & armis claruerūt maximis laudibus efferamus, nónne maiores multo merent̃, qui ingenij uiribus præstāt: inter quos nouissimas neutiquā partes Galenus noster obtinet, Memorabo in primis Asiaticas illas uigilias, quibus De demōstratiuis sermonibus titulus est. In illis q̃plurima omniū fermè disciplinarū penetralia patent. Extat compendiosum opus ab eo æditū, Techne, siue Ars parua uulgò uocitatū, in quo omnem Hippocraticā doctrinam reuocare uidet̃. Taceo reliqua, utpote De mēbris dolētibus libros, de sectis, de differentijs morborū, de arte curatiua ad Glauconē. Omitto librū De cōuenientia Hippocratis & Platonis, decē tractatuū, Secretorū suorū, Experimentorū, De utilitate particulariū. Hæc & q̃plurima alia adeò sunt diuulgata, ut nota magis nulli domus sit sua. Est nunc memorabile opus De ingenio sanitatis inscriptū, ex quo quantum & ingenio & doctrina polleat Galenus, facile dignosci potest. Vnde nec sine magna animi uoluptate ea legere ac perlegere potest nemo. Tanto in græca lingua ornatu, tāta uenustate, tāta deniq; felicitate conditū est, ut & mihi & omnibus usui sit. In libris eñ De ingenio sanitatis totā ferè medicinā ad causarū agnitionē iudiciorumq; notitiā, ad rerū qualitates, corporūq; diuersas habitudines atq; gradus reuocauit, nihil intentatū inexpertūq; relinquens, ac orbē uniuersum ita in sese circumagens, ut reliqui om̃es inscitia impudēda damnarent̃, ac publicani salutē decoquere uiderent̃, si quid sine Galeni autoritate agere uellent. Quæ omnia, ut diximus, turpis barbarorū colluuies fœdauit. Quod nōnulli intelligentes, reiectis Galeni libris,

Libri Galeni.

Auicennam

A Auicennam potius imitari uoluerunt, quod scilicet concinno (ut aiunt) ordine, uastum illum canonem suum texuerit. Qui si diligenter omnia Auicennæ errata ad amussim examinassent cũ tot expositoribus, qui partim ab alijs, partim ijdem à seipsis, in uarijs locis discordãt, nõ ordinẽ & lucẽ, sed tenebras potius & chaos quodam offendisse se faterent, qua confusionis obscuritate nihil possit esse humanæ uitæ periculosius. Quis enim nõ uideat plus esse à medico, quàm à morbo periculi, si quidem & morbus alius pro alio curetur, & alia pro alijs remedia afferãtur? Nos sane ad hanc amouendam confusionem atque extirpandam, & nostræ ætatis hominibus lucem aliquam ueritatis aperiendam, partim librorum Galeni medicorũ principis theorematibus, partim in eosdẽ cõmentationibus, die noctuque laboramus. Quamuis certo sciamus nos hoc labore nostro apud illos, qui malunt didicisse, quàm discere, plus odij quàm gratiæ consecuturos.

De errore Iuliani circa definitionem morbi. HISTORIA II



GALENVS libro primo De morbis curãdis, de morbo cõtra Themisum & Iulianum tractans, inquit: Verum de horũ dissidentia licebit aliquan do, fortasse etiã in sequentibus, mentionẽ facere, unaque cum his Menemachi, qui omnes eorum res astutius turbauit atque confudit, & nugacis Olympici, cumque hoc etiã Apollonidæ, & Sorani, & qui adhuc uiuit Iuliani: quem utique & nos cõuenimus, ut uiua uidelicet hominis uoce meras nugas condiscerem: sed nec is explicare potuit quid morbus, pathos ue esset. Cuius rei uel maximum signum est, quod cum uiginti plus anni iam sint ex quo illum Alexandriæ conuenimus, scripseritque iterum atque iterũ institutiones (nam has assidue transponit, transformatque, nunquam ijs quas scripsit contentus) nusquam tamen earum est ausus
B quid morbus sit prodere: tametsi certe adeò ea quæ nihil ad rem pertinent, in ijs agitet, ut etiam illud inquirat, sit ne pictura medicis ex usu: & tamen tam multa taliaque cum scribat, nec dissimulare habeat, sicut nec Menemachus, quasi methodicæ sectæ absurditatem clare nõ norit, ne in hodiernũ quidem diem in institutionibus suis usquam scripsit quid morbũ pathos ue nominet. Mihi certe ipsum interroganti, adeò multa obscuraque respondit, ut nihil eorũ quæ dixit planè intelligerẽ, cogererque illud tantũ homini dicere, quod mihi desciscere ab Olympico uideretur, quanquam is auus doctrinæ ipsius fuerat. Nam Iulianus hic Apollonidæ Cyprij, ille Olympici discipulus fuerat. Ergo Olympicus, uti dixi, sanitatẽ morbumque finire ausus, illam esse affectum aiebat, qui absentia sit morbi. Rursus morbum, mutationem à naturali in id quod præter naturam sit, stabilem. Quorum sanè utraque multũ sunt à ratione aliena, quæ & tunc Iuliano exposui.

CAMPEGIVS.

Cum duo sint motus genera, alterationis scilicet & lationis, ubi ad permanentẽ dispositionem alteratio peruenerit, sitque dispositio scilicet præter naturam, morbus appellatur: quamuis per abusionem interdũ, eandem dispositionem nonnulli affectum nominent: qui si more Græcorũ patrio nomine uterentur, partes ipsas potius affici dicerent, cum motũ sustinent prẹter naturam: cum uero dispositiones habent præter naturã, si proprie quis loquatur, ægrotare eas potius, quàm affici dicet. Quod si ab usu recesserit, non solũ ægrotare, sed affici quoque dicere poterit. Morbus uero & calidus & frigidus, & humidus & siccus, protinus ab initio, cum primũ corpus temperaturę quæ bonę ualetudini debet, limites excesserit, eandẽ sibijpsi naturã habet. Quãuis enim interdũ adeò sit exiguus, ut neque à nobis cognosci, neque laborantium sensu percipi possit, nihilominus tamen propriã habere speciem censetur. Haud aliter si inflammatio quoque in qualibet animalis parte cõstiterit, siue maxima siue minima fuerit, unus atque idem erit affectus, nõ specie quidem, sed magnitudine uarius.

De cura

C De cura uulnerum putridorum. HISTORIA III



ERTIO De ingenio, capite sexto, apud Galenũ sic scribitur: Meministi uero eum qui sine ratione & memoria putrida uulnera curabat, cum medicina scilicet quam medici habent in consuetudine, id est uiridi unguento: mel tamẽ in eo addidit: qui cum per multos dies ea ex huiusmodi medicamine subliniret, putredinem in uulnere unoquoq; die eadem quantitate reperiebat. Quo quidẽ uiso stupefactus, ad quid rediret ignorabat. Quod cõtingit, quoniam ipsius medicina nõ solum eam quæ in uulnere erat putredinem mundificabat, uerumetiã & carnem sub uulnere existentẽ liquefaciebat: fortior enim erat quàm natura infirmi. Cumq; medicus ille putredinem eodem modo manere conspiceret, quandam ex illis quantitatem in suam medicinam adiũxit, quatenus mundificatior fieret: putabat enim putredinem illam, causa medicinæ deficientis existere, cum ipsa ecõuerso causa fuisset. Unde dico quod is medicus nõ solũ errauit methodo curandorũ uulnerũ, sed etiam imperitia qualitatis uulnerũ. Nam si uulnera cum qualibet harũ duarũ medicinarũ curare cœperimus, & putredinẽ manere sicut fuerat uidebimus, intendimus quod una earum minus mundificet quàm oportet, & alia ultra modũ. Differũt enim inter se, eo quod ea quæ fortior est & acutior, uulnera magis solito cõcauat, & labra eorum indurat, & superficies fit rubicunda, & aliquando contingit infirmo morsura. Quæ uero minus opportuna mundificatiua existit, neq; morsuram, neq; aliquod horum quæ dixi, generabit. Quidam homo secũdum omnem qualitatem quasi sanus extitit, deinde in membro quendam pruritũ sentit, & pustulæ subitò apparuerunt, membrũ autem erat brachium, tunc eo brachium sæpius scalpente, uulnus pessimi coloris ortum est, rosuram & inequa-

D litatem habens: hoc tamen tribus diebus uel quatuor ab initio morbi contingit. Dic ergo, quomodo uulnus istud curabis? Ego autem testor omnibus uulneribus hoc esse deterius, idcirco dum id conspexero, qualitatem corporis totius inuestigabo. Huiusmodi tamen notitia per ea accidentia quæ in uulneribus apparẽt, cognosco. per illa quoq; quæ in toto corpore fiunt. Cumq; materiam specialiter certifico, mox intrepidus purgo eam, ne purgatione quidẽ tardante, uulnus insanabile efficiatur.

CAMPEGIUS.

In dignotionis parte, etiam ægrotantis temperaturam cõtemplari oportet. Quicunq; enim calidi & sicci natura sunt, hi omnes facile ab integris euacuationibus offendunt. Et cõsuetudo quoq; non parui momenti est, tum ad omnia alia, tum præcipue ad euacuationis indagationem. Quidam enim nũquam fuere euacuati, neq; unquam euacuationẽ integram pertulerũt, & multis cibis usi sunt. Nonnulli econtra, neq; multis cibis usi fuerunt, & euacuationibus sunt assueti. Hos igitur intrepide euacuare docet Galenus, quando & reliqua etiã consentiunt: cæteros uero, nec si omnia alia id suaserint. Eodem pariter modo & corporis habitus cõsiderare oportet. Nam qui densa & solida carne constant, his habitus haudquaquam facilis ut patiatur. Quare non oportet uereri ipsos euacuare ex toto, si quidem & alia id iubent. Sed qui mollem & tenellam & diffluentem habẽt carnem, hi mirum in modũ sunt ad patiendũ habiles. Quare & si reliqua omnia sanguinem esse minuendũ persuadent, non tamen id facere audendum est: sed aliis euacuationibus, quantum moderate & cum formidine fieri potest, utendum est. Eodem modo, ut Galeno placet, & quicũq; supra modum crassi sunt aut macilenti: Nam & his uenam incidere cauendum est, aliasq; euacuationes integras uereri oportet. His etiam & ætas annumeranda est ueluti accidens quoddam quod prohibendi uim habet: neq; enim pueri, neq; seniores, hæc sine noxa tolerant.

De

A De consolidatione uenarum pulsatiliũ, & apostemate aurium, ac de uul-
nere pulmonis. HISTORIA IIII

LIBRO quinto De ingenio apud Galenũ, capite septimo, cum de cau-
sa arteriarũ mẽtio fieret, sic scripsit: Dico me pulsantes uidisse uenas esse
solidatas, & carnem circa eas generatam: In pueris quidem & mulierib.
in fronte, & oculis, & planta, & rasteta manus. Quidã enim iuuenis ru *Exemplum*
sticus, dum uellet sanguinem minui, Vere quidem existente, sicut consuetudo mul *primum.*
torum est ligato humero, pulsus est tumefactus: quem uulnerauit, putans eum ue-
nam esse: Erat enim iuuenis non multum assuetus in medicina: uulnus tamen non
magnum extitit, sed mox sanguis egressus est clarus, rubens, lucidus & calidus, resi
liendo egrediens in modum pulsus. Cumq; talia uiderem ego, & quidam medicus
senex mecum existens, mox præparauimus medicinam conglutinatiuam, & uisco
sam, & oppilatiuam: tenens quoq; fortiter utraq; uulneris labra, & desuper de hac
medicina apponens: super medicinam quoque mollem spongiam imposui, ligans
eam. Quod medicus qui arteriam inciderat, me aspiciens miratus est, nequaquã me
interrogans. Cumq; foras exiremus, dixi ad chirurgum, eam quam minuerat ue-
nam pulsantem esse, præcipiens ei ne dissolueret uenam ante quartum diem, ne-
que sine me. Post quartum autem diem soluto brachio, uenam perfecte solidatam
inueni: tunc de medicina supponens, & spongiam superius ligans, multis diebus li-
gatum dimisi, donec uulnus omnino sanum factum est. In hoc tamen solo, uulnus
huiusmodi sanari perspexi. Sed reliquis omnibus, quibus uenæ pulsantes fuerant
incisæ, passio quædam quę aneurysma dicitur, orta est, quam matrem sanguinis me
dici appellant. Quæ autem sunt in pulmone, difficilius alijs uulneribus curanť. *Secundum.*
B Quidam tamen fatenť, ea nõ solum difficile posse curari, sed etiam incurabilia esse,
quod affirmant cum experimento & ratione. Cum ratione, quoniã pulmo propter
anhelitũ eius in motu semper existit: sed membrũ cuius est curandũ uulnus, opor-
tet quiescere & silere. Cum experimẽto, eo quod nullus experimentatorũ uidit ali
quem ab hac passione euasisse. Sed ego dico, certum nõ posse fieri in experimento,
plures enim uidi subitò nimia tussi cõmoueri, & hoc uel propter garrulitatem, uel
propter casum ab alto loco, aut propter percussionẽ, qui tussiendo sanguinẽ screa-
uerunt: quidam ad modũ unius coralli, alij duorum, & nõnulli plures, aliqui etiam
nihil doloris senserunt, alij uero in pectore dolorem habuerunt: hi tamen non subi
tò, neque multum sanguinẽ emiserunt, parum caloris habentem: quibus monstra-
stratur sanguinem à remotis locis uenisse. Sanguis uero sine dolore exiens, subitò et
multus existit, nimium ruboris & caloris habens: unde nobis ostendit se non à re-
motis locis descendisse. Deus scit quod tempore quodam imperatori cuidã obuiã *Tertium.*
ueni, qui de secta Thessali erat: medicabatur autem uetustũ uulnus auris, cum hac
medicina: sed auris cœpit putrefieri, & uermes habere, priusquã cicatricem cõtrahe
ret: quem ego multis diebus talem curaui, impendere dimittens uidi putredinẽ in
aure quaq; die magis ac magis generari, & aurem sanie repleri. Tandẽ aspexi eum
quoddam incredibile facere: nam cum arbitraretur in cõcauitate auris esse aposte-
ma, curauit eum cum tetrapharmaco: unde per hanc medicinã auris maxime in pu
tredinem uersa est, eo quod hæc medicina nõ desiccat uulnera, sed maturat aposte-
mata. Cumq; medicinam qualitati auris oppositam apponeret, in uno die sanies, &
intolerabilis putredo apparuerunt: unde famuli domini coacti, medicum ne ultro
ad eum appropinquaret prohibuerũt. Ille uero maximo supercilio præcipiebat, ut
ꝑmitteret Lyciniũ ex tetrapharmaco inuentũ apponi, & desuꝑ cataplasmata mol-
lificantia imponi, & noluerũt: tunc incepi eos rogare, quatenus eam medicinã ap-
ponerent, eo quod sciebã putredinẽ & fœtorem in aure ijs appositis multiplicari.

C Quibus meæ obsecrationi obedientibus, cõtingit ex prædicta medicaminis impositione, uelut cogitaui. Tunc errorẽ ipsius asini sibimet detegere cœpi, dicens: Putauisti quod in concauo auris istius esset apostema, ideoq; cũ mollificantibus illud curauisti. Respondit, uere: nam non potest aliter esse, quàm arbitratus sum. Cui ego dixi: Vidisti unquã uulnus quod phlegmone coniunctũ esset, aceto & glaucio curatum fuisse? Respondit, nõ. Tunc dixi: Si aliquis sumens trochiscos Andronij cũ aceto, & unxerit aures istius infirmi, quid tibi fore uidetur? Respondit, spasmus fiet. Cui ego dixi: Si sumat medicinã fortiorẽ, q̃ trochiscos Andronij, & temperetur cum aceto, uulneribusq; apostematis imponatur, certò ne putas eum uenire in spasmũ, si apostema in aure est, cum is locus multum sit propinquus cerebro? Quod audiens ipse & qui illic erant, crediderũt uerũ esse. Tandem dixi ad eum: Cum notũ sit mihi medicinã nimis desiccatiuã huic loco cõuenire, nisi locus ipse diu à te mollificatus fuisset, mox eandem facerẽ: sed quoniam cõsuetudinẽ conseruari oportet, membrum quod à te mala consuetudine diu uersum est, ad contrariã oppositionẽ subitò mutare non ualeo: nam tu & Thessalus consuetudinẽ ignoratis, sicut & naturam membrorum, neq; eam cõsideratis: nobis autem nõ licet: Ideoq; hunc infirmũ primitus curabo cum aceto & glaucio: Item secundo cum trochiscis Andronij: tertio cum fortioribus tribus uel quatuor diebus. Hæc faciens, deinde si uidebo uulnus fortioribus indigere, ea applicabo: neq; apponã in capite infirmantis auris relaxans cataplasma, sicut tu fecisti, sed medicamen nimis desiccatiuũ, ungens aurem foris cum trochiscis Andronij, aut cũ siccioribus. Nam si membrũ curandũ siccissimũ sit, necesse est ultimo desiccari: quoniam sicut passio eius ostendit, quod medicamen eius debet esse contrariũ, sic necesse est membrũ infirmum cum similibus curari. Si his actis restituet, non indigebis alijs fortioribus medicinis. Alijs tamen fortiora cõueniunt, eo

Cura in apostemate auris.

D quod uulnus in quibusdã est annuũ, in alijs uero ultra annũ durauit: ideoq; curaui eos cum medicinis siccioribus, quàm ea quam nominaui: id fuit ferri scoria subtilissime trita, & cum aceto ad mellis spissitudinẽ mixta, uel stercore columbino decocto. Quãtitas aũt aceti sit maxima, quæ sufficiat ad ferri scoriã. Quapropter cum auris sit siccissima, necesse est ut medicina ultra modũ sicca sit, præter cætera uidelicet membra. Si aũt uulnera sint in oculis, curabimus ea cum granis quæ fiunt de thure. Quę autem sunt in naribus, curamus ea cum medicina magis sicca, quàm ea quę fit in oculis, minus tamẽ ea quæ fit in auribus. Vulnera uero quæ sunt in ore, si fuerint saniosa & humida, necesse est curentur cum fortiori medicamine siccante, ueluti diphrige, siue per se, siue cum melle, uel dulci uino. Ioanniculus autem declarans inquit: Tria sunt genera specierũ: Vnum est lapis metallinus: aliud fex, quæ remanet ubi æs fundit: tertium de marchisite incenso. Item iuuat uulnera oris succus sumac, & succus uuæ acerbæ, & similium desiccatiuorum.

CAMPEGIVS.

Arteria. Arteria est conceptaculũ spiritus naturalis mixti confusiq; cum sanguine, in quo *Vena.* plus spiritus est & minus sanguinis. Vena immobilis est, exploratq; emittendi sanguinis gratia. Arteria uero motu atq; pulsu suo habitũ & motũ febriũ demõstrat. A neotericis uocat ipsa intentio motus, & remissio in corde, nõ arbitraria, sed naturalis. Arteria uero incisa nõ cõsolidat. De uulnere pulmonis dicendũ, q̃d si aliquãdo tussiendo expuat quoddã cartilagineũ, secundũ asperam arteriã (bronchion appellant) tũc maximũ hulcus uel ab erosiõe uel putredine in pulmone esse existimam⁹. Atqui in tota ea parte, quę inter guttur & pulmonẽ media est, quanq; eiusmodi naturę corpus inuenit, tam grãdis tamẽ hulceratio in ipsa haudquaq̃ fieri potest, quin prius mors animal præoccupet. In pulmone uero, ut Galenus scribit, talis fieri potest, utpote qui ob humiditatẽ facile putrescere, & à uitiosis humoribus prõpte ero-

di

A di consueuit. At uero bronchia in ipso exigua admodũ sunt, quocirca pars ipsorum putrescere nõ potest, quinpotius totum bronchium reijci necesse est, membranosis uinculis quæ ipsum cum alijs coniungunt, à sua continuitate absolutis: quippe quæ suis bronchijs multo celerius afficiunt: Hæc enim, ut Galeno placet, & cartilaginea & dura & crassa sunt: membranæ uero quæ ipsa cõiungunt, tenues & infirmæ. Sanè frustũ quoddã uasis, haud ita paruũ, tussiendo reijci uidit Galenus: quod ex pulmone fuisse eductũ, planè intelligebant dissectoriæ artis haud imperiti professores. Quotquot enim ad asperam arteriã in collo perueniunt uasa, omnia capillorũ ferè speciem referunt. Parotides sunt apostemata secus aures: παρὰ enim Græcis ad significat, & ὦτα aures. Paradontides siue parulides, sunt tubercula iuxta gingiuas, cum caro in gingiua excreuit. Quãdo fluit sanies ex aure, sume aquæ mellis uncias treis, aloës, thuris, singulorũ scrupulos duos, myrrhę scrupulũ dimidiũ: istius aquæ pone treis guttas tepidas in aurem manè. Aliud medicamentũ ad idem: Sume aluminis usti, mellis, singulorũ drachmam unam, pone in aurem & utere. Ad hulcera aurium secundum Rasim Pœnum: Sarcocolla, thus, myrrha, spuma maris, baurac, bolum armenum, scoria ferri, flos æris & aloës, & ex istis fiant collyria, & distillentur in aurem suis horis, cum aqua mellis. *De auriũ apostemate & cura*

De quodam iuuene, qui patiebatur catarrhum cum tussicula & sputo rubeo: & de quadam Romana nobili, quæ cruorem spuebat. Item de quodam iuuene alio, qui cortices spuebat cum tussi. Item de quodam alio iuuene. HISTORIA V



APVD Galenũ libro quinto De ingenio, sic scriptũ reperit: Quidã iuuenis xviij. annorũ existens, multis diebus catarrhũ habuit, & deinde screatibus & tussicula calidũ sanguinẽ & rubeũ, nõ tamẽ multũ emisit: B tũc eiecit partẽ pelliculariũ interioris canalis pulmonis: illã pelliculã dico, quæ tendit usq; ad gulã, os & palatũ cooperientẽ. Cumq; crassitiẽ illius pelliculæ uidissem, & infirmus dolorẽ sentiret, arbitratus sum partẽ illius corporis esse, qđ est intra guttur: quod ostendebatur ex loquela & uoce infirmi, quæ corrupta erant: qui longo tempore medicatus euasit. Sed mihi uidetur, qđ illi qui in pestilentiali morbo sunt, tam alijs facilius curantur, quàm eorũ corpora ex pestilentia deficcata sunt: Nam multi ex ijs patiuntur uomitum & solutionẽ. Cumq; corpora eorum ijs solutionibus mundificentur, subitò in totis corporib. eorũ qui euasuri sunt, pustulæ nigræ apparent, quę in quibusdã sunt uulnerosæ, in omnibus tamẽ siccæ. Vnde arbitratus sum, quod causa horum sit, id quod ex sanguine putrefacto et incenso in eorum corpore pręsentibus febribus remansit: natura erga cutim eum expellente, sicut mala alia per eam expelluntur. In his tamẽ pustulis nõ cõueniebat medicina, eo qđ per seipsam sanabantur hoc modo. Qui eñ in exterioribus erant cortices, emittebant, & post duos dies uel tres sanabantur. Quæ aũt nõ extrinsecus egrediebantur, quoniã scabiosa erant, corticibus ab eis cadentibus sanabantur. Igitur non est mirũ qđ uulnera quæ erant in pulmone, restituta sunt sanitati, propter siccitatẽ, & hoc quoniam secundũ pestilentiã fuerant: nam quod in uulneribus à nobis erat exhibendũ, illud totum pestilentiæ tempus, id est siccitas exhibuit. Vna ergo in curandis uulneribus omĩbus intentio est, scilicet desiccatio. His modis sanguis ex pulmone cũ screatibus exiens curatur. Alter quoq; iuuenis ad me uenit, ostendens mihi plurimas pustulas in eo esse, in nono die apparentes, sicut apparuerũt in cæteris eorũ, mortalitatem illã euadentibus: & tunc temporis cœpit modica tussi uexari: deinde secũdo die ipse balneũ egrediens, fortius & plus tussiuit, excreans cum tussi quædã quasi cortices, & sensit uulnera in canalibus pulmonis esse, in loco qui uicinus est gutturi. Tũc ore illius aperto, aspexi interius quatenus possem ea uidere. Cumq; diu aspicerem, *Exemplum secundum.*

C nihil passionis in ea reperi: tunc arbitratus sum, quod dolor & angustia cibis & potibus introeuntibus in gula sentiretur, si passio in ea fuisset. Hac inuestigatione mihi nō sufficiente, dedi sibi cibū cum aceto & sinapi, quatenus q̄d arbitratus fueram certificaret, nihil tamē doloris uel angustiæ sensit. Vnde credidi uulnera esse in pulmone: Aeger enim etiā ibi quandā sentiebat angustiā, qua cōmouebatur ad tussim: tūc præcepi ut inquantū posset, studium ne tussiret, imponeret. & fecit: quod aspiciens cœpit laborare in cicatrizando, in uulneribus talia faciens. Posui ei in eo loco, exterius uidelicet, desiccatiuā medicinam, & prostraui eum supine, dans ei siccam medicinam, ad huiusmodi ægritudinē ualentem, præcipiens ut eam teneret in ore, quatenus paulatim in canalem pulmonis descensum haberet. Tunc infirmus cœpit dicere, se stipticitatē medicinæ sentire, ad canales pulmonis descēdentem, & qualiter de loco ad locum usq; ad canales pulmonis descendebat. Infirmus enim nō erat quemadmodū ij, qui nesciunt medicinā, sed exercebat se in arte medicinę secundū methodicos: ideoq; descensum medicaminis à canalibus ad pulmonē percepit eum, ad tussim cōmouentē: sed inquantū poterat, à tussi se cōstringebat. Qui ultra nouem dies quibus passus est Romę, tribus alijs ibidem moratus est: deinde misi eum, in nauim portans eum, per flumen. Tunc in quarto mittens eum in nauim, iuit per mare usq; ad castrum, quod dicitur Stabiū, & bibit lac: lac enim huic passioni optimū est: non

Lac. enim temere laudaē. Sed lac illius loci multarū bonitatum est, quarū una est locus altissimus, alia est aër quia siccus est: tertia, quia pascua animaliū de quibus lac extrahimus, sunt bona & iuuatiua. Vulnera uero quæ sunt in canalibus pulmonis, in interiori uidelicet pellicula, & maxime in ea quæ uicina est gutturi, aut in gutture, possibile est ut curenē. Multos em̄ huiusmodi habētes curauim⁹, & sanitati restituti sunt.

D Sed quod magis ex sanitate eis perspexi, istud est quod nunc dixi de duobus iuuenibus, qui erant cum magna mortalitas fuerat, de qua deum deprecati sumus, ut à nobis amputareē. Sed cum dixissem, quomodo debeat curari fractura magnarū uenarum propter casum, aut magnā uocem, aut pondus intolerabile, aut propter durū & ponderosum corpus super eum incidens, ostendendū est quomodo curentur ij, quibus sanguis propter catarrhū screantib. emittiē. Vnde narrabo uobis de qua-

Tertium. dam nobilissima, quam ego Romæ curaui, quæ quodam tempore meam audiuit dispositionem, quam feci propter eos qui sanguinem ex pulmone excreant, propter fortem catarrhū, aut nimiam tussim. Hæc nanq; cum parū sanguinis screatibus emisisset, citò in media nocte mādauit ad eam irem, dicens mihi: Omibus pręceptis tuis ero obediens, & quęcunq; dixeris faciam. Audierat à me, cum disputarē de uulneribus pulmonis, quoniā nisi curentur priusq̄ tumefiant, & hulcus phlegmonē cōtraheret, nullo modo sanari possunt, nam ex hoc omnes pereunt. Cumq; ad eam uenissem, non præcepi ut minuereē, quia propter catarrhū quatuor diebus nō comederat, nisi paruissimū quid: tunc præcepi ut acri clystere utereē, & manus & pedes cum calido medicamine diu fricarentur, & manus & pedes fortiter alligaui: deinde præcepi, ut caput raderet, & medicinā super illud poneret, quæ fit de stercore syluestris columbi, & moraret quasi tribus horis: deinde misi eam in balneū, præcipiens ei, ne caput alio q̄ oleo infunderet. Cumq; balneū exiret, cooperui caput eius ex temperatis rebus secundū quod natura corporis erat: deinde nutriui eam cum iuribus, & postea cum stipticis fructibus. Ad horam aūt dormiēdi, dedi ei theriacā, quę quatuor mensiū erat: quæ cū nouitati esset uicina, uirtutē habuit opij: unde huiusmodi theriaca somnū inducit, humores fluentes desiccat, & aliquantulū incrassat. Cumq; catarrhus cessaret, intendi quod pulmo deberet mundificari, hoc ex eius anhelitu atq; uocis emissione percipiens. In secundo tamen die nō incepi eam mundificare, sed custodiui eam in quiete & silentio, fricans manus & pedes eius, & ligans eos,

A eos, præcepi etiam ut omnia præter caput, membra fricarentur: Calidum enim erat propter prædictam medicinam. Deinde uespere dedi ei theriacam in modum fabę. In prima tamen uice maiorem dedi ei quantitatem, unde suauiter dormiuit. In tertia uero die, manè dedi sibi multam mellis quantitatem decocti, præcipiens ut quietem & silentium seruaret. In augmento autem diei, dedi sibi ptisanam cum paucissimo panis. In quarta autem die diluculo, theriacam uetustam cum multo mellis sibi tribui, & de medicina supradicta, supra caput eius apposui: deinde misi eam in balneum: qua exeunte, bonum cibum ei porrexi. In quinta die, cœpi per pulmonem eius fortius mūdificare, & cum quodam interuallo ceratum capiti eius superposui, quod fit ex asphodelis: studium in eius corpore præstans, sicut ægritudinem exeuntium, equitādo, ambulando, fricando, balneis abstinendo, & parum cibi sumendo, bonum sanguinē generantis: Vnde euasit, minime lactis opem requirens. Item *Quartum.* alius iuuenis habens tussim, non ex catarrho, sed propter frigiditatem in spiritualibus membris euenientem, screauit sanguinem mensura mediæ cotylæ: cui mox minui de uena sanguinem, bis eodem die detrahens. Similiter etiam in secundo die faciens, manus & pedes eius fricui, & eos alligaui. Vespere autem primæ diei, dedi sibi de medicina nostra, quæ fit de seminibus. In secūdo autem die, post phlebotomiā super totum corpus eius posui ceratum, quod fit ex asphodelo: Vespere autē illud abstuli, ne corpus ultra modum calefieret. Item in tertio die illud apposui, dimittens ipsum quasi tribus horis: deinde introduxi eum in balneum, & cibaui eum in duabus primis diebus cum iuribus. In tertio autem die, data ptisana, primitus dedi pisces leues & faciles coctu, & simpliciter pręparatos. Sed in secundo & tertio die similiter. De medicina quę de seminibus cōficitur, uespere accepit, quoniā somnum præstat,
B dolorem mitigat, humores desiccat. Cumqꝫ membra spiritalia, ad suę complexionis temperiem mutarentur, & totum corpus eius mundificaretur, & nihil suspicionis in eo remansisse uideretur, per quod apostema in fractura uenæ quomodolibet generaretur, cœpi eum mundificare, dans ei theriacam uetustam, & Tabias dimisi. Sic quoque multos huiusmodi curaui, ad me uenientes in prima die.

CAMPEGIVS.

Contingit plerunqꝫ, ut uel erosa, uel exesa, uel utcunqꝫ nominare uolueris, uena, sanguis affatim tussiendo eijciatur. Cum enim, ut Galeno placet, retroactis temporibus, quis ex non ita multis interuallis, quotidie sanguinem tussiendo expuere consueuerit, superueniatqꝫ ei postea multi sanguinis inter tussiendum eruptio, & quidem neque ab alto cadenti, neqꝫ in certamine, neqꝫ palęstra grauiter uulnerato, neque etiam sub ullo graui pondere oppresso thorace: reliquum fuerit, ut conijciamus, ob auctam erosionem, plurimum sanguinem inter tussiendum fuisse reiectū. Atque non pauci sic affecti, pulmonis quasdam particulas simul cum sanguine eiecerunt. Quocirca, ut scribit Galenus, diligenter considerare oportet, an spumosum quidpiam simul educatur: id enim efficacissimū fuerit indiciū, quod ex pulmone facta sit excretio. Haud secus si bronchi pars quædā, aut arteriæ, aut uenæ tunica, aut etiā pulmonis ipsius caruncula eijcitur. Quippe nihil horū accidit ijs, qui ex thorace saguinem tussiendo producunt: ac ne dolor quidem infestat eos, quibus à pulmone sanguis erumpit, utpote qui duos neruos perqꝫ tenues, à sexta neruorum à cerebro ortorum cōiugatione recipit, extrinsecus per membranā ipsum continentē dispersos, qui intrinsecus haudquaqꝫ per uisceris profunditatē extendunt. Mulier au- *De muliere Romana quæ spuebat cruorem.* tem Romana sanguinis spuitionem patiebatur. Si enim ex thorace & pulmone uel aspera arteria sanguinē expuimus, omnino cum tussi respuitur. Si uero ex eis locis quæ circa fauces, uel gurgulionem feratur sanguis, excreando excernitur, siue ex aliquo oris loco, uel omnino ex gingiuis. Est etiā quādo ex capite, uel partibus quæ

C circa gurgulionem defertur sanguis, & gutturi intercidit, tussimq; cit, uideturq; ex thorace ejci. Si quis igitur excreat & emungit sanguinem pluribus cōsequentibus diebus, neq; ullus sit capitis dolor uel grauitas, uel pręsens uel pręterita, neque percussione ibidem facta, considerare conuenit eius meatum sanguinis totum pensicu late, locumq; illum oris, unde è palato in narem descenditur. Quæ uero medicamina composita ueteres medici tradiderūt, peculiaria sunt duo. Primum est potio sanguinem ejcientibus: Coralli lapidis, terræ asteris, electri, mastiches, singulorum drachmę sex, amyli, thuris, gummi dragaganti, singulorū drachmæ quatuor: da cochliarium aridum cum oxycrato. Aliud multum probatū testimonio multo: Libani, hoc est thuris, terrę asteris, singulorū drachmas octo, croci drachmam, amyli drachmā, arnoglossi, succi aridi drachmam, scindēdo & colando, da cochliarium cum oxycrato. In quarto exemplo, cum loquitur de medicina illa singulari, quæ fit ex spermatibus, nō uidetur ibi accipere sperma, pro superfluitate illa tertiæ digestionis, ex qua fit generatio. Ipse enim Galenus undecimo De simplici medicina, illos nō solum arguit, sed anathematizat, qui talibus utuntur medicinis. Sed credo eum loqui de quadam medicina, quæ à quibusdam Sperma solis appellat̄, cuius descriptio est huiusmodi: Si acceperis cichorij siue intybi semen, atque contriueris, inq; mulieris masculum nutrientis lacte quatuor dies resolui dimiseris, ac deinde hoc ipsum in distillatorio posueris, quod inde egredietur oleum, uocabit̄ Sperma solis, cuius natura mirabilis perhibetur. Quoniā cum auro, ut dicunt, foliato uno die leniter ebullitum, hæmoptoicos curat, si ut Galenus ostendit, tribuatur. Fit & aliud sperma ex rutæ semine, cum simili auro in puluerem dissoluto: quæ duo commixta, si in aceto ponantur diei unius naturalis spacio, deinde breuiter ad solem desiccabuntur, ac modo supradicto in oleum eliquabuntur, admirandam illud afferet utilitatem: quan-

D doquidem si quis inter bibendum aut comedendū sumpserit uenenum, ac de hoc semel biberit oleo, primum euomet uenenum: si iterum biberit, malos humores à ueneno contractos euomet: si uero tertio, planè curabitur sanabiturq;.

Potio sanguinē ejcientibus ap prime utilis.

Quid sperma solis secundum Galenum.

Sperma contra pestē & uenena

Plurima exempla curationis puncturæ simplicis in neruo factæ.

HISTORIA VI



LIBRO sexto De ingenio, capite secundo apud Galenum de punctura nerui, sic legitur: Quidam enim homo ex uicino tempore cum stilo punctus est in manu, & penetrauit usque ad neruum, sub cuti existentem. Tūc quidā de secta Thessali ueniens, posuit in eo unguentū, quod magnorum uulnerū iuuatiuū esse conspexit: arbitrabatur enim omnibus uulneribus in quocunq; loco sint, unicū medicamen prodesse. Cumq; uideret locum uulneris tumefieri, apposuit ibi cataplasma ex farina tritici: unde manu eius ex eo putre facta, ante septimum diem iugulatus est. Multi quoque ubi in pæonias istorum manus incidēre, mortui sunt, spasmum incurrētes. Quæ omnia cōtingebant, eo quod imitabantur doctrinam sui magistri, dicentis, quod omnia uulnera recentia, uno debeant curari medicamine. Ideoq; nullus eorum, qui puncturam habuerunt in neruo, in spasmum cecidit, ex nostro medicamine adiutus. Purgabis quoque in ijs totū corpus cum phlebotomia, cum uirtus hoc permiserit: Sed tamē si mali in eo sunt humores, cum pharmacia ejciantur. Hæc enim festinanter ante omnia sunt facienda. Sed aqua calida, quę mitigat dolorē omnis apostematis, uitanda est in omnibus uulneribus nerui: quia substantia nerui est facta ex humida materia, propter frigiditatem coagulata: Vnde hæc & similia dissoluuntur, & putrefiunt ex calidis & humidis. Ex oleo ergo fomentetur locus, monstrans quod frigidum oleum corporis poros oppilat, calidum dissoluat & aperiat. Fugiendum tamen est omne oleum Ponti

cum,

A cum, laudabile eſt ſubtiliatiuũ, ſicut oleum quod dicitur ſepinum. Bonum etiam eſt,
ut ſit duorum uel trium annorũ, eo quod magis ſit quàm recens diſſolutiuum: do o
rem tamen non adeò mitigabit ut nouum. Primum medicamen quod reperi tere-
benthina fuit, dans illud ſimpliciter, & aliquando cum pauco euphorbij: ſolũ, in uul
neribus & pueris & tenera corpora habentibus: cũ euphorbio, in ſiccis & duris cor
poribus. Similiter feci ex fece mellis, dans eam ſolam, & aliquando cum pauco eu-
phorbij. Quod ſi ſiccum fuerit, temperetur cum aliquanto oleo. In ſicciſsimis corpo
ribus addatur ſerapinum, aliquando cum oleo, aliquando cum terebenthina. Idem
faciendum eſt de opopanaco: & ut mihi uidetur, eiuſdem iuuaminis eſt aſſa, quia
conſimilis eſt ſpeciei, quæ cum euphorbio miſcetur: ſed nõ ſum expertus ut de alijs,
nam oportet ut primitus ſecundum rationem conſideranda conſiderentur, deinde
cum experimento certificentur, ut ratio per experimentum confirmetur. Qua ra-
tione oſtenditur, ſulphur ignem non expertum, nec ex genere lapidis exiſtens, ſed
ſubtiliſſime tritum, uulneribus nerui prodeſſe. Sed miſceatur cum oleo, aliquando
confectũ in modum ſtercoris columbini, uel in modũ mellis, ſi corpus eſt ſiccũ. Simi
liter calx nõ extincta cũ oleo temperata iuuat. Melior tamen erit, ſi cũ aqua marina
lauetur, in æſtiuo uidelicet tempore, id eſt in canicularibus diebus: & ſi ter lauetur,
melius erit. Et omnia iſta egomet ex natura rerum inueſtigaui: Iſtud etiam pertinet
ad medicum, uiam artificialem imitari uolentem. Sed Theſſalus mirabilis de nullo
horum tractauit: dixit enim medicinam ab antiquis eſſe notificatam, cum tu uideas
multa à nobis eſſe inuenta, quæ non ſolum Theſſalo, uerumetiam omnibus anti-
quis, & modo exiſtentibus ignota ſunt. Quodam nanque tempore, quidam in- *Exemplum ſecundum de quodam cui uulnus erat putrefactũ*
uitauit me, cui uulnus erat putrefactum, ex medicamine quod à ſecta Theſſali fit.
B Cumq; uiderem medicos cataplaſma ex polline tritici uulneri applicare, quanquã
tunc temporis nullum medicamen quod conueniens eſſet, poſſem inuenire, roga-
ui famulos ut afferrent mihi aquã luti: nam iuxta domũ eius erat lutum: quod allatũ
coxi cũ iure hordei, & prohibens ne cataplaſma pollinis, hordei & olei ultra impone
rẽt, tunc locũ de hoc cataplaſmate liniui. Quod faciens ter, liberaui infirmũ à uulne
re neruorũ, q̃d erat tumidum & putrefactum, ex medicamine horum ſtultorum.
Quidã alius medicus in punctura nerui, de medicamine euphorbij quod probaue *Tertium.*
rat, ponens: In tertio die duxit ægrũ ad me, puncturæ mihi locũ oſtendens: quẽ aſpi
ciens, tumorẽ in eo inueni cũ maximo dolore: ſed hic ignorabat, cur medicamen nõ
proderat. Tunc ægrũ interrogaui, qualiter eſſet in primo die, & utrũ calorẽ quaſi te
pidi ſolis, appoſita medicina ſenſerit. & dixit, non. Tunc reuerſus ad medicũ, quęſi-
ui quantum tempus eſſet, quo medicamen illud conſtruxerat, & quos cum eo cu-
rauerat. Reſpondit, quod annum tranſiſſet, & pueri & unus iuuenis cum eo cura-
ti fuiſſent. Item quęſiui, quæ iuueni ipſi eſſet figura: reſpondit, albus erat & mollis.
Quod audiens, ſciui euphorbium minus eſſe quàm oportebat complexioni illius
iuuenis, & mox præcepi, ut parum ex illo medicamine mihi afferret: & modicum
euphorbij accipiens, euphorbium ſecundum quod uidebam ſufficere, dedi ut ſub-
tiliſſime tereretur, & cum unguento miſceretur: deinde ſumens oleum quod dici-
tur ſepinum, temperate illud caleſeci, & infundens ex eo totum membrum uulne-
ris, & uulnus eo quod conſtrictũ erat dilataui, medicamẽ ſuper illud inducens. Sed
præcepi ut abſtineret à cibo: iuſſi etiam medicum, ut ueſpere uulnus diſſolueret, &
cum oleo prædicto membrũ madefaceret. Manè uero ægrum quietũ inueni, & tu
mor & dolor diſſolutus eſt. Vnde quicũq; uidit hoc, credidit quod nullus in aliquo
loco medicamẽ ponere poſſit, niſi artificialis ſit, quod nullus ex ſecta Theſſali facere
ualuit. Quidam iuuenis ruſticus fixuram in callo manus habebat, corpore bonæ *Quartum.*
admodum complexionis exiſtente, niſi quod ex ſole quidem æſtiuo erat incenſum.

C Tunc accipiens trochiscos pollidos cum sapa, eos super calidam aquam temperaui, & Lycinium in eo infusum plagę imposui. Iubeo tamen ei super omnia, ut nihil frigidum fixuræ u ulneris appropinquetur, cum membrũ infirmum sensibilissimum sit, & iunctum cum nobilissimo membro, quod est fundamentum & initium, quo multa corpora diriguntur. Complexio nerui frigidior est alijs, propter hoc frigiditas citò in eis agit: quæ actio ad cerebrum ducitur. Quod si neruus iunctus fuerit cũ lacerto, citò spasmum generabit, quia lacertus instrumentum uoluntarij motus est. Similiter si iunctus est cum chorda. Cumq; medicamen in uulnere iuuenis prędicti posuissem, cœpi infundere aliam eius spatulam, & collum, & caput cum oleo calido. Et in prima die sanguinem de uena detraxi: in quarta die melior extitit, & uulnus minus & desiccatum apparuit. Tunc arbitratus sum, nihil aliud usque in diem septimum fieri debere: unde sanus in septimo die factus est.

CAMPEGIVS.

Spasmus membri est patientis abbreuiatio, & in lõgo imminutio à naturali quantitate. Hocq; aut in toto fit corpore, & uocatur Tetanus, atq; hoc ut membrum ab utroq; æqualiter extendatur latere, fitq; rectum, & in nullam declinat omnino partem. Et spasmus qui non extendit ex membri in utrunq; latus distentione, de punctura nerui, quæ spasmũ inducere potest, fit. Dixit Galenus, quod si foramen sit cũ acu, studendũ est ne locus tumefiat: quapropter, inquit, non est uerum aliquẽ esse medicum, eo quod sciat separationem iuncturæ cuiuslibet membri solidari debere: medicus enim est, si scierit cum quibus solidatio fiat. Concedatur ergo quod quidam ad me uenit, puncturam habens cum acu solam cutim penetrantem: Vnde
D dico, infit, quod si caro illius bona fuerit, & uulnus eius præter unum medicamen solitum est sanari. Dicit Galenus puncturam eius, nullo apposito posse solidari: sed si caro mala sit, & uulnus eis difficile sanabitur. Primitus in loco uulneris dolorẽ habebit, deinde pulsum & tumorem, quem methodici cum interrogatione cognoscebant: Galenus uero cum experimento, & cum significationibus ostendentibus corpora, quibus sunt boni uel mali humores, acutus uel non acutus sensus, plethoria uel temperata habitudo. Item sciebat Galenus, quæ corpora erant plena, uel malos habebant humores, aut acutum sensum, siue hæc insimul sint ne'ne: Quoniã mox ut punctura in huiusmodi corporibus fuerit, locus tumefiet: in contrarijs autẽ non. Cumq; talia cognouerimus, non ponimus in foramine puncturæ solidatiuum medicamẽ, sed relaxans & dolorẽ mitigans. Nam si fixura magna sit, oportet, infit Galenus, ut studium in coniungendis & solidandis uulneris partibus imponamus, & hoc cum sicca medicina: Si uero foramen sit cum acu, ante omnia studendum est, ne locus tumefiat. Quod uero dolores dure descendentes, in ipsis neruis fieri dicit Archigenes, recte dictum est: quanquam melius erat, si simpliciter dixisset, non addendo dure. Nam neruorum dolores utrinque uehementer descendere possunt: quia ad utraque extrema tenduntur, tum id à quo incipiunt, tum illud in quod finiuntur: Non secus quàm chordæ in cithara, quæ sæpenumero, ubi nimis intenduntur, disrumpi solent: Quapropter citharistæ, cum instrumenta sua post usum reponere uoluerint, chordas relaxant. Nam planè constat eas à contrarijs tum causis, tum dispositionibus intendi, siue humidus fuerit ambiens aër, ut rigare ipsas & implere possit, siue uehementer aridus. Ab utraq; enim ambientis aëris temperatura, ad ultimam tensionem perueniunt. Proinde recte dixit Hippocrates, neruorum conuulsiones & à plenitudine & ab inanitione eueniri, utpote per quas nerui immodice scilitet tenduntur.

De fra-

De fractura cranei. HISTORIA VI

A 

GALENVS libro sexto De ingenio, capite sexto, cum de causa fractu
ræ ossis capitis loqueret, infit: Scio nanq; quoniam cuiusdam caput ui=
di, craneum cuius fractū erat: & os, quod tempora dicunt, passum est.
Tunc tempora dimittens, os quod in craneo erat incidi, & æger sani=
tati est restitutus, & adhuc uiuit. Quod si craneum postponere, neces=
sariò pelliculæ quæ sub eo erant, putrefierent priusq; os solidaret: quia nisi saniem
à superiori ad inferius scirem semper esse descensuram, incisio ossis non esset utilis.
Præterea quendam aliū uidi, fracturā in capite sicut prior habentē: tunc arbitratus
sum dimittere os quod superius erat, & incidere ea quæ iuxta illud erant, ut sanies
locum haberet fluendi. Cumq; crassitiem huius ossis & duritiem considerarem, ui=
di magis esse utile, ut os quod superius erat abscinderet, quàm ut in sanie studium
poneretur: quoniam timui ne cerebrum moueretur. Item recordatus sum, quoniā
si latum foramen fieret in ossibus lateraliter existentibus, causa huius cerebrū ascen
deret, & foras exiret. Item multæ furculæ de nobili neruo cerebri per loca illa sunt
expansæ, de superiori autem parte cranei nullus neruus oritur: ideoq; prohibui ne
loca illa abscinderentur: illud autem quod incidi, conuenienter solidaui.

CAMPEGIVS.

Vbi fracto capitis osse, terebra adacta est, si quis uehementius comprimat, proti=
nus sensum omnem amittit laborans. Quinetiam si inflammatio quædam oriatur,
(nam & hanc interdū euenire uidemus) mentem itaq; lædi, minime negandū est.
Præterea nonnulli per uehementem capitis ustionem delirauerunt, atq; per fortes
B ictus capiti adactos, sæpenumero stupidum soporem sequi uidere est. Multi quoq;
affectus, ut Galenus noster docet, in capite consistentes, mentem haud obscure ui=
tiant, adeò ut etiam populares, cum aut delirare aliquem, aut mentem quomodoli=
bet affici conspiciunt, capiti remedia adhibenda esse censent. Per solum consensum
læso cerebro, si ea pars quæ primitiuo affectu laborat, fuerit curata prius q; cerebro
propria aliqua eueniat dispositio, nullum in ipso relinquitur accidens. Quod si ex
consensu, permanens aliqua fiat in ipso dispositio, tum nō solum parti quæ primiti=
uo affectu laborat, sed capiti quoq; remedia adhibere oportet. Quapropter ut mor
bi essentiā, qualis sit inueniamus, uehemens studiū adhibere debemus: Quippe hu
midum exiccare, aridum humectare, frigidum calefacere, calidum refrigerare opor
tet. Ac si copulatus fuerit affectus, per contrariā copulam ipsum curare, ut calidū &
siccū humectare & refrigerare, humidū frigidūq; exiccare & calefacere, atq; in reli=
quis duabus copulis, ac in cæteris morbis omībus, eadē ratiōe similiter facere cōuenit.

De cura malæ complexionis uentris calidæ & siccæ.

HISTORIA VIII



APVD Galenū septimo De ingenio sanitatis, capite viij. sic scriptū re=
perimus: Quidam quadrigenis erat annis, habitus cōmoderati secun=
dum crassitiem et subtilitatem, secundum sanitatis tempus. Sitiebat au
tem uehemēter, & odire se aiebat calidum. Dabat aūt ei nullus frigidū
sufficienter pingui existenti: febrire deniq; medicis non uidebatur, &
uenter excernebat ea quæ sumpta erant, per tres uel quatuor horas, simul cum po=
tu. Is ergo & macer erat iam, & prope periculū uenerat, nullam utilitatē sentiens ab
austeris & abstersiuis pharmacis. Accipiebat aūt & uinū austerū cū cibo. Hic homo
simul qdē nō ultra ferens sitim, simul aūt & (ut dicebat) eligēs mori magis q; uiuere,
cōtristatus, aquā frigidā copiosam repēte simul in cibo sumens, cōfestim quidē cessa,

C uit sitis. Euomuit autem parum postea q̃ plurimum. Horridũ autem ex tunc fit totum corpus, & indiget coopertionibus pluribus, abijciens antea uniuersas. Tũc ergo reliquum totum diei deinceps hoc gessit, & per totam noctem fuit in quiete, fouens seipsum coopertorijs. Egessit autem semel uenter, & moderate consistentia, per mediã noctẽ. Quare neq; siticulosus erat ultra secundũ crastinã, & bene multũ coloratior & fortior factus est. Et scrutatio quidem facta est medicis, si balneandus esset ipse: quibusdã uero uolentibus, quibusdã uero nolentib9, prçualuit balneandi opinio. Igit̃ balneatus est bene ferens: moderate diætatus est, & melius q̃ secundũ externã digessit uenter. Conquerebat̃ autem de transglutione ut difficili, & omnibus uisum est, propter uomitum inassuetum factum, dissipatum esse & laborasse stomachum. Vt autem his qui deinceps diebus mansit hoc symptoma, maximũ fit nobis omnibus, quod uenter quidem curatus est ab inualitudine, stomachus uero infrigidatus est. Et non igitur mirabile fuit, in cõmoderationem quidem reuersum esse potu quod supercalefactũ erat: infrigidari uero, quod immoderate calidũ. Nõ tamen neq; potuit quis eius curare stomachum, sed aliud pro alio malum permutans, moritur ipse. Nullus medicorũ à principio cognouit dispositionẽ illius patientis: neque ego: postea, ut dixi, rememoratus sum, inueniens curatiuam methodum. Quoniam utique erat illud, quod consideratũ est mihi olim. Bonum fuit illud narrasse, prodest enim legentibus, quemadmodum & mihi. Alium autem talem annis postea non paucis consideraui iam dignoscere, sciens omnes uentris discrasias. Visum autem est mihi fortius infrigidare eum cõfestim, antequã plus attenuatur, similiter ei qui antea infrigidationẽ patiatur. Cautius igitur uidebatur mihi prima die experiri infrigidantia pharmaca, secundum hypochondriũ posita. Et ita gerente, diminutus quidem est æstus uentris. Respirabat autem similiter gementibus is homo, ut uix totum thoracem mouens. Et nimirum ipse interrogatus, confitebatur talem aliquam sentire passionem. Cognoui igitur infrigidatũ esse diaphragma ei, & propterea abijciens infrigidatoria, fomentabam oleo calido. Citissime uero respiratione reincipiente proportionẽ quæ secundum naturam, cessaui quidem à fomentatione. Noui uero eum moderate infrigidari, in tempore ampliori. Igitur & quæ exterius superponebantur, deorsum ponebam, secedens à diaphragmate usque ad umbilicum. Et uniuersa quæ comedebantur & bibebantur, præter lac, dabam frigida similiter aquæ fontanç, & ita tempore ampliori restitutus est, nullo aliorum læsus. Sciendum est enim tibi & hoc præ omnibus, ut cum fortiter quidem alterata fuerit secundum utrasq; qualitates quæcunque particula, perit opus eius uniuersum. Non facile uero est eam, quæ ita disposita est, redire in id quod secũdum naturam est. Cum aũt altera sola qualitas amplius subalterata fuerit, sicut nũc supposui siccitatẽ: aliqua uero aliarũ fuerit moderata, possibile est sanari ita dispositũ hoĩem.

Exemplum secundum.

D

CAMPEGIVS.

Distemperantiarũ siccarũ, si Paulo Aeginetæ credimus, alia est quando similares partes, quæ solidæ sunt substantiæ, sicciores effectæ sunt. Hæc nullo medicamento uincitur. Alia, substantiç ex humore compactæ peculiaris effectus est, cum propria humiditas, quæ partes alit, prorsus deperdita est. Hçc in om̃ibus animalis partibus, ueluti sparsus ros continet̃, sed sine cibo in partibus reponi nõ potest: quapropter difficilima est huiuscemodi affectionis medela. In paruis uero arterijs, uenisq; consistentes ariditates, curare licet, si humidos cibos exhibentes, singulas partes peculiari humiditate impleuerim9. Igit̃ utile fuerit laborantẽ diu in aqua tẽperati lauacri uersari: mox à balneo asininũ lac, nouũ, nuper emulctũ, cui paulũ tepidi mellis adiectũ sit, exhibere: deinde quieti pmittere ad secundũ usq; lauacrũ: tum unguẽto aliquo modice pfricare, dũmodo exhibitũ lac exacte cõfectũ esse, tum ex ructibus, tum ex

uentricu

A uentriculi tumore cōieceris. Porrò inter primū atq; secundū lauacrū, quatuor quinqueue horę equinoctiales intercedere debent, si tertio quoq; ipsum lauare, ꝓposueris: sin minus, plures: atq; post singula lauacra antequā induatur, oleo perfricandus est. Quinetiam post secundum lauacrum lac ei dabimus, si quidem ei gratum est: sin minus, ptisanam exacte coctam, aut alicam ueluti ptisanam præparatā: deinde rursus interposita requie, uel ad tertium lauacrum, uel ad cœnam ducemus.

Idiota secundum naturam se habens, sophistæ præcipienti ieiunium triduanū præponit. HISTORIA IX



LIBRO octauo De ingenio, capite sexto, apud Galenū sic scriptum est: Assueui dicere multotiens, quod omni sophista idiotarum unusquisq;, quicunq; se habet secundum naturam, ueriora opinatur. Hoc & in diuinissimo eorum diatrito considerare tibi licet, deriso ab omnibus qui secundum naturam habent. Heri denique quidam idiota in cœna superabundanti, ampliora inferens & bibens, uenit quidem domum palpitans & manu ductus. Superficietenus autem existentibus ei his quæ grauabant uentrem, omnia uomens ea per noctem quidem febrijt: dormiuit autem ad multum superueniens diei, demum surgens & parum ambulans, balneatus est: deridens eum qui diatritum expectare consuluerat: illo nanq; autore etiam postero die inediam tolerare debuisset: ut autem res ipsa monebat, & ipse sua spōte faciebat, lotus & moderate cibatus. Pòst dormiens sine querela, mane surgente, omnia assueta peragens in ipso diatrito, secundum quam ieiunare eum oportebat, obediens diatritarijs medicis. Ita enim eos qui conuicians nominabat gratulanter. Sed & cœnante iam secundum cōsuetudinem
B homine, assistens derisor ille, subsannabat: rememorās eum qui uomit tertia uespera, quod oporteret seipsum nunc duobus diebus ieiunum & siccum & anxiantem plurimū iacere, horas respicientem secundum diatritariorū imperium. Sunt ęstimo & idiotis manifesta ea quæ præter manifestationē præsumunt. Et ex hoc decenter medicos quidem alios esse aiunt, uoce uero medicos alios. Qualiter enim non iure taliter nuncupantur, qui non cognoscunt, quod nullus idiota ignorat? Qualiter ergo nō derideri & conuiciū pati digni existunt, qui cum ignorando hæc talia, Hippocrati seipsos pręponunt? Sed illorum quidem insensibilitatē, neque utique Mercurius simul cum Musis sanaret.

CAMPEGIVS.

Medicinā Plinius naturalis historiæ lib. xxix. in tres partes diuidit, & fuisse tres sectas medicorū ostendit. Primam dicit Clinicen, quæ uictu & uenenis corporibus medetur: Aliam tetralepticen, quæ unguentis: Et empicen, uel melius empiricen. Cornelius aūt Celsus ita tripartitur: Vna est quæ uictu, altera quæ medicamentis, tertia quę manu medetur. Primam diæteticam, secundam pharmaceuticen, tertiam chirurgicen, Græci nominauerunt. Chirurgia est medicina manualis: Pharmaceutica medicamentis medeť: Diætetica uero uictu. Quapropter Galenus hic idiotarū medicos diatritarios appellauit. Sunt enim meo iudicio diatriti medici, qui diæta homines atterunt ac interimunt. Rectius tamen hoc nomine uocarentur ij, qui à medicis atteruntur diæta. *Diatritarij medici qui.*

De febre sanguinis, quam Synocham uocant. HISTORIA X



GALENVS libro nono Methodi, capite quarto, cum de febre sanguinis per exempla scriberet, infit: Vulgus medicorū nihil miri est si contemptis bonis moribus, opinioni sapientię magis ꝗ ueritati inhiat. Veterum non sic fuit ratio nostra. Non enī heri aut nudiustertius, sed statim ab adolescentia philosophię studio capti, primū nos ad eam contulim⁹,

C Mox patris euidenti insomnio moniti, ad medicinę studiũ uenimus, ac per totam uitam operibus magis quàm uerbis utriq; studio incubuimus. Quo minus mirũ est, si in quo tempore alij totam urbem salutando lustrant, & cum diuitibus cœnant, ac eosdem comitantur, hoc omni sedulo nos laborantes, primum quidē omnia quæ ueteribus pulchre sunt inuenta, didicimus: mox eadē opere tum indicauimus, tum exercuimus. Ergo qui palestræ peritus iuuenis erat, ubi febricitare hora prima noctis cœpisset, postridie eum manè circiter horam diei tertiam uidimus. Cum autem inuenissem febrem admodum calidam, sed pulsus æquales, & maximos, & celeres, & frequentes, & uehementes, tum caloris qualitatem quæ minime morderet, iam uero & urinas tum crassitudine tum colore à naturali habitu nō multum alienas, audiens præterea hominem circiter triginta dies, exercitationis consuetudinem intermisisse, pridie tamen exercitasse se uehementius, cæterum non multum, sumpsisse autem solitos cibos, atq; eos cōcoxisse, quamuis tarde & ægre, utpote cum febris uespere occupasset, cum iterum rubicundus plenusq; homo appareret, atq; etiam plenitudinis sensum se percipere diceret, faciente interim quodam eorum qui aderant, de uena secanda mentionem, uisum nobis est eius auxilij cōsideratione in aliud tempus remittere, simul ut certius sciremus cuius generis febris esset, simul necessariò propter eam quæ præcesserat concoctionis tarditatē. Cum autem uesperi similem uigorem tueri febris est uisa, ceu nihil sensibiliter remittens, suspicio iam erat synochon esse: hancq; ex obstructiōe, & sanguinis abundantia, & præ carnis copia stipatione. Ac cum parem magnitudinem per totam noctem febris seruaret, postero die uisum est medicis omnibus qui eum inuiserant, sanguinem esse mittendum. Discordia uero orta de tempore, & uincentibus qui id in sequentem diem differendũ suaD derent, febris per totum eum diem euidenter uisa est uigorem suum augere. Mox tertia sequente nocte, alia quidem accessio minime incidit, quæ primæ ad portionē responderet: erat tamen æstus ipse laboranti intolerabilis: urgebatq; tum tensio totius corporis, utpote repleti, tum capitis pulsatio: atq; ob hæc grauis uigilia: iuuene in aliam aliâs se figuram iactante. Itaq; cum ultra nō posset, hora noctis circiter octaua, mittit ad me ministrũ, rogatq; ad se ocyus ueniam. Ipse annuo, atque abeo: inuenioq; febrem calidissimam, pulsumq; qualem prædixi. Quoniam autem nec in hoc nec in lotio, nec in ipsa caloris qualitate indiciũ aliquod humorum putrescentiũ apparuit, optimum factu uisum est uenam incidere, antequã putredo inciperet. Aufero itaq; ab homine eousq; de industria sanguinem, quoad animo linqueretur: maximum planè ubi ualentes uires sunt, continuæ febris remediũ: Id quod tum ratione, tum experientia didici. Primum nanq; in contrarium statum agitur corpus, celerrime ex animi defectu refrigeratũ. Hoc uero nemo inuenire potest, neq; quod ipsis ægris, neq; quod naturæ quæ animantes gubernat, iucundius utilius'ue sit. Postmodum in eiusmodi corporibus necessariò superuenit alui deiectio, nōnunquã etiam bilis uomitio. Quas res statim à toto corpore madores sudores'ue excipiunt. Quæ nimirum omnia cum huic quoq; cōtingerent, protinus febrem extinxerunt: sic, ut quidam ex ijs qui aderant, iugulasse me febrem per iocum diceret, unde omnes risimus. Verum quò narrationem omnem absoluam, nihil mali erit paucula addidisse. Post duas nanq; à sanguinis missione horas paulò nutrimenti dato, ac iusso quiescere, discessi. Quinta uero hora reuersus, tam profundo somno indormientē inueni, ut tangentem me prorsus nō sentiret. Cum uero & ministri adeò illi altum somnũ fuisse dicerent, ut nec cum madores eius abstergerent, expergisceretur: suasi ita facerent: esse nanq; hominem iam prorsus à febri liberum. Reuersus autem & decima rursus hora, etiam tunc dormientem inueni. Egressus autem iterum ad alios uisendos ægros, redeo hora prima noctis, nō tamen ut antè tacens, sed uoce de industria sublata,

Minutio sanguinis primũ synochi remedium.

A sublata, quò ægrum à somno excitarem. Quod cum ita accidit, ubi solo ptisanæ cremore nutriueram, abij. Cuius modum postero die augens, tertio lauatũ dimisi. Ac quæ ad hunc pertinebant infirmum, ita sunt gesta. Quæ uero ad alterum, nunc dicam. Is cum toto die multum laborasset, deinde lauatus paucula comedisset, cœpit nocte febricitare, totum etiam continuans sequentem diem. Hunc nos post secundam noctem uidimus, in cęteris quidem omnibus iam dicto iuueni similiter affectũ: uerum putrescentiũ humorum euidentes prębentem notas. Itaq; uena quoq; huic protinus incisa, usq; ad animi defectum uacuauimus. Post id idoneo interposito spacio, cibauimus primum mulsa, deinde una interposita hora, ptisanæ cremore. Atq; hæc omnia intra quintam acta sunt horam. Cum autem similis sibi perseueraret febris, synochon eam fore ex putredine expectauimus. Itaq; accidit. Quippe cũ eam secunda noctis hora pari magnitudine cerneremus, tertiæ diei accessionem, futurá ne esset, an secus, diligenter obseruare uolebamus: cuius in septimam horam noctis suspicio erat. Itaque cum summo mane superuenissem, inueni quod expectaram. Nam nec tertiana inciderat accessio, febrisq; remissior paululo quàm uesperi fuerat, apparuit. Vt autem rursus hominem meridie uidi, eratq; iam certissimum et febrem decreuisse, & synochon febrem esse, sed quæ assidue decresceret: uisum est tum quoq; hominem similiter nutrire. Quarta uero exacta nocte, manifeste minor etiam quarto die erat. Quo rursus quoque ad eundem modum homine cibato, aduertimus tum illo die toto, tum quæ hunc secuta est quinta nocte magnitudinẽ remittere, sic ut quinto die liquidò planè appareret, minor esse febris quàm ante. Itaq; ad portionem minuentis se febris, urinæ quoq; concoctio processerat. Eratq; haud obscurum septimo (id quod factum est) finiendam. Hanc igitur planè continentẽ

B ex humorum putredine febrem, & quæ assidue decresceret, uidimus. Multas uero alias continentes cõspeximus, quarum alię crescentes, alię similem tenorem seruantes erant: Illas epacmasticas, has acmasticas uel homotonus Græci uocãt. Aliæ, ceu quam modo memorauimus, decrescentes, quas paracmasticas dicunt. Aliæ rursus in primo die putredinis notas habuerunt, aliæ in tertio, aut certe ad summum quarto: idq; aliàs medicorum ipsorum inscitia, qui sanguinem nõ miserant, aliàs laborantium ipsorum timiditate. Siquidẽ eorum qui ex sola obstructione febricitarant, nemo in putredinis febrem incidit, qui prius sanguinẽ miserat: Quem, ubi ualida uirtus subest, & ætas permittit, usque ad animi defectum mittere expedit. Vbi horum alterum nõ satis respondet, tutius est quantum satis uisum fuerit, tantum principio detrahere: quod defuit, iteratione supplere. Etenim hoc præsidio omisso, qui ita febricitant, in summum discrimen ueniunt: nisi si eos uel uirium robur, uel largũ sanguinis profluuium, uel sudor copiosus ex manifesta pernicie eripiat. Et tamen nõnulli ex medicis sunt, qui tametsi uident naturam sanguinis profluuio non paucos eorum qui sic periclitentur seruare, tamen sanguinis missionem fugiãt, nullam nec experientiam nec ueram rationem secuti. Cæterum hos mittamus, disputato præsertim contra illos abunde uno integro libro, qui est de sanguinis missione contra Erasistratum scriptus.

CAMPEGIVS.

Sanguinem uero mittere oportet, & ob morbi magnitudinẽ, & quibus ruboris plus est quàm naturæ conueniat, & maior quàm pro cõsuetudine corporis tumor, & uenæ eminentes atq; extensæ. His omnibus est auferẽdus, nisi uires aut ætas aut aliquid aliud prohibuerit. Sed neq;, ut Galenus alibi scribit, si fuerit febris cum profluuio uentris, alia est opus euacuatione, uerũ hæc sola sufficit, quamuis non sit pro multitudinis ratione. Quicunq; enim his plus adimere necessariũ putantes, aut sanguinem mittere aut uentrem mouere tentarunt, in grauiora pericula duxerũt. Sed

neque si quis simul & distentione neruorum laborauerit, & sanguinis eguerit missione, neq; huic tantum semel mittere oportet quantum exigit morbus, sed aliquid etiam accidenti est relinquendũ, cuius causa sæpe sudores eueniũt, & uigiliæ molestant, & uires ægroti debilitant. Ita etiam si uehementissimæ uigiliæ aut dolor intensus ægrotum infestant, cauendæ sunt subitæ ac multæ euacuationes. Ipsa præterea ambientis aëris tempestas loco accidentis cuiusdam habenda, quãdo exquisite calida & sicca fuerit, qualis est tempore medio inter Canis ortum & Arcturi: atq; ideo omnes quibus medici nihil omnino de temporum statu cogitantes sanguinem abstulerunt, interierunt. Si etiam ualde frigida fuerit, tunc quidem sanguinem mittere est formidandum. Neq; illud ignorare oportet, non parua ex similibus rebus sequi pericula. Interierunt autem nonnulli qui in calidis admodum temporis statibus non recte euacuant, ex defectu animæ, quem syncopim uocant, & dissolutione. In frigidis uero cum accessiones incipiunt, nimium refrigerati nequeunt tolerare. Ob hæc igitur neq; in locis supra modum calidis aut frigidis, sanguinem mittere audemus. Si qui mollem & tenellam & diffluentem habent carnem, hi mirum in modum sunt ad patiendũ habiles. Quare & si reliqua omnia sanguinem esse minuendum persuadent, nõ tamen id facere audendum est, sed alijs euacuationibus, quantum moderate & cum formidine fieri potest, utendum est. Eodem modo & quicunque supra modum crassi sunt aut macilenti: Nam & his uenam incidere cauẽdum est, aliasq; euacuationes integras uereri oportet. His etiã & ætas annumeranda est, ueluti accidens quoddam, quod prohibendi uim habet: neq; enim pueri, neque seniores hęc sine noxa tolerãt. Hosce igitur (ut Galeno placet) omnes quos diximus, ubi dispositiones hortentur, non semel neq; ex toto, sed paulatim oportet euacuare inedijs moderatis, & frictionibus, & clysteribus mollibus, inunctionibusq; & cataplasmatis & balneis.

D

De indicatione curatiua sumpta à uirtute. HISTORIA XI



GALENVS libro nono De ingenio, capite decimo, sic scripsit: Duos homines pereuntes uidi ipsis manibus medicorum, lipothymiam quidem passos, nondum uero restitutos. Multi autem etsi non confestim corrupti sunt, sed postea demũ propter uirtutis laborem: quos si quis euacuasset sine dissolutione uirtutis, nequaquam perissent. Quinimò & in ægritudinẽ longam quidam inciderunt, & immoderatis euacuationibus ex dissoluta uirtute. Alij uero in eam quæ deinceps uitam uniuersam, cõplexionem totam corporis habuerunt frigidiorem, nequeuntes adhuc reuocare id quod ex immoderata euacuatione natum erat nocumentum: ex qua frigiditate, hi quidem & decolores & mali habitus, facile in omni tempore læsi extiterunt. Alij uero ex hoc ipso ægritudinibus capti sunt periculosis, & hydropisi, & orthopnœis, & hepatis & uentris imbecillitatibus, & apoplexijs, & paraplexijs. In tantum igitur necessaria existente uirtute, omnibus ante eam euacuatiuis auxilijs, cum immoderatius eis quis utatur, nocentibus, contrarie uidelicet ad se inuicem indicationes fiunt, secũdum talia corpora, in quibus dispositio quidem ut soluatur indiget euacuatione maxima, ferre autẽ eam uirtus non potest.

CAMPEGIVS.

Virtus debilitata, ut neotericorũ uerbis utar, dicitur esse duplex: Vna per uiam aggrauationis, alia per uiam resolutionis. Prima fit ex onere alicuius materiæ aggrauantis & impedientis: Secunda ex spirituũ resolutione, quocunq; fiat, siue per nimiam euacuationẽ, siue per insensibilem resolutionẽ, siue sensibilem. Et huic duplici debilitati corporis correspõdet duplex fortitudo uirtutis: Vna cõsequens eius

onerationem

A onerationem materiei, huius uirtutem aggrauantis: Alia consequens spirituum restaurationem, & ipsorũ multiplicationem. Et uirtus sicut est fortior, ita potest maiorem quantitatem cibi perfecte immutare: & quãto debilior, tanto potest minorem immutare. Nobis enim necesse est proculdubio superfluitates euacuare: quarũ euacuatio secundum plurimum non completur, neque est conueniens, nisi cum medicinis fiat uenenosis, quæ proculdubio (ut uult Galenus) naturam frangunt: quæ etiam si uenenosæ non essent, non posset esse quin eas bibere naturæ laboriosum esset, quemadmodum dicit Hippocrates, quod medicina purgat & inueterat. Et ut secundo Regiminis acutorum Galenus scripsit: Natura medicinarũ solutiuarum, est contraria naturæ corporum, quæ ipsa soluunt, & sunt uniuersaliter pernecantes & interimentes ea.

Quæ uictus ratio conueniat biliosæ cõplexioni: & improbatio opinionis illorũ qui utebantur ieiunio triduano. HISTORIA XII



DECIMO libro De arte curatiua, capite tertio, in quo manifestantur modi diætãdi cholericos, Galenus ita scribit: Nec alienũ sit, si tibi talẽ ægrotum describam, in quo primum ausus sum, ratione ipsa mihi uiam monstrante, & diatriton contemnere, & uirium rationem habere: posteaq; alios, quos in simili casu uidi, audacter eodem modo quo illum, curare. Siquidẽ primum periculũ postquam ijs quæ ab indicatione sunt inuenta subscripsit, ad secundum usum reddit magis animosos. Ergo iuuenis qui febri est correptus, annos natus erat quinq; & uiginti, gracili corpore et musculo, ueluti canis: tum sicco calidoq; omnino temperamento. Iam idem exercitatione delectabatur, & alioqui cogitabundus & industrius erat. B Is peregre agens cum nuncium parum gratum accepisset, & tristatus est, & propere se accingẽs ad urbem festinauit. Ac priore quidem die & laborauit modice, & lotus cœnatusq; in quodam diuersorio quieuit, sed maxima ex parte sine somno. Postera die etiã magis festinauit, ac longa uia, & sabulosa, & squalente, tum sub feruente sole confecta, hora prope septima & semisse peruenit in urbem. Ibi cum ea quorum causa maturasset, meliora audiret, in gymnasiũ lauaturus proficiscitur: dein unctus, unà cum quodam eorum qui aderant iuuene perfrictus est. A quo cum ut paululum dimoueret, prouocaretur, orta inter inter eos contentione (qualia sæpe incidunt ijs qui exercitationibus indulgent) plus iustò est exercitatus: eratq; iam immodice siccus. Egressus uero gymnasiũ, inuenit amicorũ quosdam pugnantes: quos dum dirimit, imprudens in aliam exercitationem nõ leuem incidit, dum alios eorũ diuellit, alios impellit, alios complectitur medios, alios ut iniurios increpat, ac pro ijs qui iniurijs affecti essent, irascit, adeò ut domũ se in summa siccitate reciperet, lassitudinẽ inæqualitatemq; sentiens. Aquam igitur ex cõsuetudine bibens, ubi nihilo se leuatum, sed inæqualitatẽ sibi intendi sentit, hanc quidem uomuit. Ratus autem utilius adhuc cibo abstinere, accubuit, ac quieti se dedit hora ferme diei undecima. Vigilans autem, ac febricitans per totam eam noctem, postri die quoq; quieuit usq; ad meridiem, sperans se somni aliquid consecuturum. Quo tempore cum eum quidam diatriton colentes inuiserent, tum quidem homini satis magnam esse febrem aiebãt, uesperi autem se illum reuisuros. Itaq; & uesperi cum redirent, ac febrem inclinatam cernerent, ne tum quidem nutriendum censuerũt, quamuis etiam id alius quidam medicus suaderet: imò strenue restiterunt, adijcientes, si quidem sine febri esset, fortasse cibum daturos, febricitãte adhuc minime id facturos. Quinetiam cum tertio die manè redirent, etiam tertiæ diei accessionẽ transmittendam censuerunt. Erat autem, ut prius dictum est, suspecta hora illius diei undecima. Ergo digressis illis, ipse accessi: ac faciẽ iuuenis contemplatus, uidi talem esse

C qualem in Prognosticis Hippocrates his uerbis pingit: Nasus acutus, concaui oculi: ac reliqua quæ deinceps ab eo dicta scimus. Itaque cum omnino mihi persuaderem fore ut tum in hecticam febrem, tum quam marasmoden uocant, homo nisi cibaretur, incideret, sorbitionem ex alica quamprimum paro, atque exhibeo. Et tamen quamuis hac sumpta, cum accessio suo tempore circa undecimam inuaderet, sic extremis partibus perfrixit, ut calfieri hæ uix possent: & pulsus illi paruus rarusq; quammaxime fuit. Qua ex causa illi etiam quarto die, tum manè tum uesperi cibum dedi, quò scilicet & uires repararem, & corpus humectarem. Erat nanque cutis eius ceu corium arida. Vbi autem febris tenuis, & similis perseuerauit, statui deinde quinto non simplici sorbitione hominem cibare ut antè: sed alica ex aqua calida, citraq; condituram, iniectis in hanc mâli punici granis. Est nanque is optimus cibus bilioso stomacho: nam & roborat hunc mâlum punicum, & alica cum diutissime in uentre citra corruptionem maneat, sensim concoquitur, nec acescens, nec innatans. Quę uitia accedere sorbitionibus aliquando solent. Incidit uero & in ipso quinto principium accessionis simile. Item'que cum & sexto & septimo eum simili ratione cibarem, in nono rursus simile principium præcedentibus fuit: ubi nimirum uel amentiam, uel pertinaciam, uel haud scio quid dicam, eorum qui in principio hominem transmittere tertiæ diei accessionem sine cibo iusserant, prorsus intelligere licebat. Nam cum cũctis euidenter appareret nunquam peruenturum eum ad quartum fuisse, si nutritus ante accessionem tertij non fuisset: illi & tum eum, & secutis etiam diebus non rectè nutritum aiebant. Cæterũ cõmittendum non erat, ut eorum redarguendi studio, ægrum quis non exhibito in ipso accessionis die cibo proderet. Igitur nono die similiter hominem nutriens, cernens'que in accessio-

D ne pulsum eius redditum quàm prius erat firmiorem, cęterum imbecillitatem illam adhuc præferentem cum extremarum partium frigore: non potui sustinere medicorum illorum meras nugas, sed undecimo die præfatus prius ægrotantis amicis, fore ut ipso die intelligerent hominem hactenus nostra opera fuisse seruatum, permisimus illi præterire accessionis horas. Ergo cum & sine pulsu omnino in ipsis esset, & frigus eum uehemens totius corporis premeret, sic ut nec loqueretur amplius, & uix impellentem sentiret: conuocati in unum medici omnes qui ab initio uideramus, ab ægrotantis propinquis propemodum sumus discerpti. Ego quidem quasi ob pertinaciam prodere ægri salutem uoluissem. Qui diatriton colebãt, propter ignorantiam & stupiditatem, ac illi quidem pallidiores frigidioresq; quàm ipse æger, cõsilium quoddam fugæ captabant. Quod ego prospiciens, aulæ ostium obserari iusseram, & simul amico cuidam clauem seruare. Post medius eorum stans, iam inquam uobis constare planè arbitror, quis hactenus hominem seruarit. Seruabitur autem & nunc nostra opera. Neq; enim si periturum omnino in hac accessione putassem, à cibatione destitissem. Sed quoniam ex præcedenti iam uictu tantum illi roboris superesse nouerã ut tolerare accessionẽ posset, permisi accessionis horas sine cibo trãsmittere. Ac satius quidem fuisset multo ante hominem nutrire. Verũ quò & istos redarguam, & quibusdam his auscultantium, qui confici à nobis iuuenem, quod illam occasionem omiserim dicunt persuadeam, nunc illis ostendam uel in accessione ipsa ægrotantis quosdam nutriri debere, nedum ante hanc. His dictis, ac diductis hominis maxillis, infundo ex angusti oris uasculo, cremoris ptisanę treis cyathos: paulò aũt post albi & tenuis uini, modiceq; calida diluti, duos cyathos. Post quos & sustulit oculos, & tum audire, tum loqui, tum præsentes nosse cœpit: cum ante ueluti lignum aridũ porrectus sine uoce ac sensu iaceret. Rursus itaq; dato ex uino (quo dixi modo diluto) pane ad comedendũ exiguo, prorsus hominem reuocaui. Quem ut rursum ad institutã ab initio uictus rationem reduxi, & tertij decimi

diei

A diei accessionem facile tolerare uidi, in quartodecimo rursus manè cibaui: ac post circiter horam octauam laui; deinde rursus liberalius cibaui, ac mox uinum bibēdum exhibui. Idem uero & in duodecimo & tertiodecimo feceram. In quinto autem decimo rursum cibaui manè. Cum uero facilius tum quoque accessionem ferret, in sextodecimo denuo laui: cæteraq́ circa hominem peregi sicut in præcedentibus diebus. At ubi in decimoseptimo minime grauis paruaq́ accessio fuit, audacter hominem decætero sub conualescentium uictus ratione habui. Hic æger non paucos semimalorum ac non penitus asinorū docuit, etiam ante accessiones ipsas nonnunq́ esse cibandum, uel si duarum horarum intercedat spacium, ac multomagis ante accessionem tertij. Ostendi autem tibi & in prima ipsa accessionis inuasione, eiusmodi homines esse nutriendos. Dico autem eiusmodi homines, in quibus corporis intemperies ad siccū & calidum conuersa febres accendit. Sicuti mulieri accidit quæ autumno ex tristitia & uigilijs febricitare cœpit: perseuerauit autem ad plurimum hyemis. Hanc quarto die, ut scis, uidimus, deprehēdimusq́ statim hecticam esse febrē, cum alia quam humores excitarant coniunctam. Curatio autem una tum fuerat, ut frigida tempestiue & moderate daretur, consuetæ scilicet hanc per sanitatē bibere. Verum eo die alijs iam curationem commiserat: quare nobis silere est uisum. Alteri uero qui eodem tempore ægrotarat, & se nobis cōmiserat, quoties nutritus est, fontanæ planè gelidæ dedimus interim binos cyathos, interim ternos: quando frigidam simul multam sibi dari, qui ita sunt affecti, citra noxam non ferunt. Quocirca utilissimū est, ubi febris ideam perspexeris, in prima statim accessione minore cum periculo, copiosiori frigida uti, corporibus ad ualidam siccitatem nōdum perductis. Qui enim in feruoribus sub Canicula ex ira febricitauit (iuuenis autē hic erat siccus B & calidus) ubi in prima accessione duas frigidæ heminas bibisset, statim quidem uomuit flauissimam bilem: nō multo autē post etiam deorsum excreuit. Deinde cum rursus post cibum aquæ heminā similiter sumpsisset, iam febricitare desijt. Non defuere tamen medici, qui cum nullam à principio febris speciem agnoscerent, sed postea cum iam præterisset occasio, intelligentes uel in hecticā, uel etiam in marasmoden febrem ægrotantem incidisse, frigidam bibendam, nos imitantes, præbuerunt. Sed nemo metam attigit. Nam magna solicitudo habēda est in ijs qui ita se habent, de frigidæ potionis mensura. Ego deniq́ uidi super hypochondria posito quādoq́ infrigidante pharmaco, cōfestim dyspnœa capi hominē patientē. Alium autē mox tussientem, & parū postea alterutrū cessare symptoma, eo quod infrigidabat sublato. Nolenti uero tibi fortiter infrigidare, non parua extitit multitudo conglutinabilium cerotiformium pharmacorum moderate infrigidantium, quorum non solum materiæ uirtutem, sed & compositionis methodum didicisti.

Exemplum secundum.

CAMPEGIVS.

In uniuersum autem nutrimenti tempus, in acutis flauæ bilis ægritudinibus hoc facito. His dictis atq́ memoratis, scito quod his quicunq́ uno modo à principio ad finem usq́ habent paroxysmū, facilitas ferendi est & consuetudo obseruanda. Tum enim demum dandū, cum facilime ipsi per sese ferunt, præsertim eo tempore ipsius diei, in quo sani prius ex consuetudine cibo uescebantur: præcipue nanq́ facile admiserint cibaria & sustinuerint, per id tempus sumētes. Roborata itaq́ potentia, & ægritudinis pubertate celeriter expectata, licet tenuissimum uictum exhibere. Languente autem potentia (ut in exemplo Galenus fecit) non est tenuiter cibandus absque ingenti damno: quare apponendum quantum potentiæ firmitudinis abstulerunt. Ad exhibendam aquam frigidam perueniendum est, integre metiendo quantum ex ipsa possit esse detrimentum si potandam des tantam, quantam sibi dari æger postularit. Trade igitur aquam frigidā cum in urinis uideas signa concoctio-

C nis: neq; enim in principio neq; in ascensu danda est aqua frigida, sed in ipsa totius ægritudinis pubertate, particulariq; paroxysmo: suo nanq; tempore data aqua frigida, solidarum partium naturam corroborat, ossa, neruos, cæteraq; eiusmodi. Robustior autem facta natura immittit se in humores prius attenuatos, & bonos cõtinet, & malos eiectat, ut per aluũ, aut per uomitus, aut per sudores. Quod si ægrotus assuetus sit sanitatis tempore aquã frigidam potare, multo magis intrepide fiduciaq; plenus frigidam aquam dato, ipsa edoctus experientia: eleuantur nanq; aquæ frigidæ accessu cũcta intestina. Omnino autẽ si qua frigida pars est sanitatis tempore, si à frigore tangatur, languet: ab aqua frigida pars nulla offendit̃, ita pota quidẽ in febri offenditur. Quæ ex intempestiua potione aquę frigidæ incõmoda obueniũt, sunt quæ glutinosos crassosq; humores impediũt, quo minus attenuentur atq; distrahantur. Ideo si pituita in aliquo fuerit intestino, seu erysipelas, siue obdurata siue tumida affectio, ad eius medelam aquæ frigidæ potus non confert: uerũ subitò quidem nõ exiguam affert facilitatem ad extinguendam iam exortam febrim, manente interius causa. Cum ex aqua frigida cõdensuit corpus, alteram succendit febrim priore molestiorẽ, & hæc detrimenti species despicienda nõ est: multi nanq; intestina habentes imbecilla, facile ab aqua frigida sauciant̃: ea nanq; ita summittitur subruiturq; stomachus, ut suam amittat actionẽ, uixq; possit potare eam uenter: ita offenditur, ut uix possit cõcoquere: & proinde tutius cum aloë sumitur. Aliquãdo iecur ex hac sola aqua in aquã inter cutem immittit: aliquãdo coli suscitatur morbus: modo languent renes & uesica, uel tale aliquid obuenit imbecillum, ineptumq; fit membrũ à sua actione. Aliqui quoq; orthopnœis, uel caligine, uel lethargo, uel parotidibus, uel spasmis, uel tremoribus, uel stupore & apoplexia capiũtur, utq; paucis absoluã, esse neruosum: uitiat̃ caput quoq;. Hæc facit aqua frigida: his malis affli-

D ctat non suo sumpta tempore. At qui suo utitur tempore, confessione præstantissimorum medicorum non modò nõ offendit languentẽ, sed semper plurimũ iuuat.

Quî febris hectica per balnea curetur. HISTORIA XIII


LIBRO decimo De ingenio sanitatis, capite decimo, cum de cura hecticę fieret sermo apud Galenũ, sic scriptũ reperimus: Iuuenis autem quidam eusarcus, id est bene carnosus, hora æstatis magna in statu febris ægritudine sine uiscerũ plegmone, in frigidam seipsum immittens aquam, sudorem mouebat. Si uero & frigidæ balneationis assuetus fuerit, ualde cõfidens utetur hoc auxilio. Sed de talibus corporibus rursus alibi dicetur. His aũt qui hecticam febriũt febrẽ, in calida & sicca cõplexione, & maxime ijs qui iam in marasmũ incidunt & tabent, nõ sine fallacia in totũ proijcere ad tale euntibus auxiliũ. Quemadmodum neq; quicũq; æstatis hora calidæ & siccæ longiorem uiam perficientes, macri & imbecilles existentes infrigidari indigent: neq; enim his quidẽ periculosus frigidi balnei usus, nisi secundũ balneum æqualiter præcalefiant. Eum autem qui certissime marasmatus, id est tabefactus est, neq; tentabimus sanare: nam calorẽ eius extinxerimus. Siccitas derelicta, senectutis modo hominẽ perficit, tantoq; uicturus est tempore, quanto resistent solidæ particulæ ad ultimam siccitatẽ. Fortassis autem quis familiariũ ægrotantis, adhuc magis laborans ut superueniatur uel ad tempus senis habitudini, q̃ ut confestim moriatur. Curare igitur & hoc cum prędictione in alium transituros marasmum, id est tabem, quam iam uocare consuetudo nobis est ex ægritudine senectutem: cõuenit enim eos non solum dies plures, sed & menses uiuere. Iuuenem deniq; ego quendam eorũ qui ita habebant sanans, demum deinceps restaurans, & uelut ueteranum nutriens, & reducens eius senilem imbecillitatem, non solum in menses, sed & in annos seruaui uiuentem.

A CAMPEGIVS.

Anni iam tres abiere, ex quibus mirãdum oculis nostris spectaculum oblatũ est. Accersitus enim fui à muliere quadam in terræ Lotharingiæ opidulum nomine Luneuillam, à Nanceio Lotharingiæ primario opido miliaribus octo, & quatuor à celebratissimo diui Nicolai fano distantem, ut filium eius imbecillum prorsus, & morbi languore propè cõsumptum inuiserem. Quem cum uiderem, plurimũ equidem miratus sum, & in magnum stuporem redactus rei nouitate inuisa, ut puto, atq; inaudita: Quando erat hic adolescentulus decem annos natus, ut mater dicebat, qui quadriennio lenta hac tabi consumptione usqueadeo fuerat extenuatus, arefactus atq; maceratus, ut præfissa cutis ossa denudaret, & ea uidenda hominibus exponeret. Percontanti mihi morbi causam, mater nihil quicquam referre potuit. Enimuero, ait huic adolescentulo esse fratrẽ, alia tamen ex matre, consimili tabe conflictatũ, quem mihi quoq; ostendi postulaui: hic decimumquartũ annum attingebat. Itaq; corpus habebat ea cõfœderatione cutem maritans ossibus, ut osseus totus neruisq; tantum coalitus & compactus uideretur, ipsam certe mortis effigiem illum iudicasses. Ambulabat satis expedite: nam simiam propemodum referebat. Inter ambulandum ossa mutuo cõtactu concrepitare audiebantur, perinde ut aridę nucum testulæ cum attrectantur. Cogitaui apud me tacitus, hos non eadem quidẽ matre natos, sed patre tamen eodem genitos, eumq; esse fabrum, assiduo fornacis igne se concremantem, carbonumq; fumo corporis humores exiccãtem, quem infestum esse uel ex eo clarissimum est, quod illo pleriq; suffumigati atq; infestati animam exhalasse cõperti sunt: ueluti apud Lugdunum hyeme superiore (qua rigidior nunquam arbitror uisa est) mercatores duo aduenæ intolerabili frigore obrigescentes, carbonibus in focum iniectis se calefecerunt, cumq; defessos artus sopori committentes, accensos carbones in media domo reliquissent, die illucẽte mortui inuenti sunt: quod non tam frigori, quod nũdinas petentes passi erant, est adscribendum, quàm carbonibus, quorum fumus letalis est ac pestifer. Cogitaui ergo sperma illud quo generati erant adolescentuli adustum fuisse, atq; infestatum tum igne tum fumo, ac humidum radicale supra modũ exiccatum, quod populo Lotharingo crebrius est Baucìæ usus, cuius uires desiccatrices esse plurimum nemo ignorat.

B

Carbonum fumus letalis.

Quod noceant fomentationes plethoricis corporibus: deq; missione sanguinis. HISTORIA XIIII



GALENVS undecimo De ingenio, capite xv. inquit: Nosti uero & eum utiq;, qui in ipso quo fomentabatur, anhelabat, superfluitate omni à calore ad phrenes, id est diaphragma attracta. Igitur & hic mortuus est, & alij infiniti secundũ unãquanq; diem moriũtur, cataplasmate instar uentosæ trahante ad uiscera, eas quæ per totũ corpus sunt superfluitates. Quidã uero & ipsa uentosa in eis usi sunt, hoc unũ solũ excogitantes & illi, uideri gerere se quid semper circa laborantẽ. Igitur optimũ quidem est, ut dictumest, uenam incidere, nõ solum in synochis febribus, sed etiã in alijs omnibus quæ in putredine humorũ accenduntur, cum neq; ætas neq; uirtus prohibuerint. Alleuiãtur enim (quæ dispensat nostra corpora) natura, & deponens quod aggrauat eam uelut aliquod onus, dominabitur reliquo facile. Itaque & digeret quod digeri potest, & excernet quod excerni potest, recolens propriarũ actionũ.

CAMPEGIVS.

Nocent fomẽtationes, ut Galeno placet, plethoricis corporibus, apostemata ad loca nobilia attrahẽtes: maxime enim peccãt qui ita curãt plethorica, & nõ pura corpora. Cõtingit (inquit) in talibus ægritudinibus diuites magis inopibus male curari: utraq; enim in eis peccat, propter lasciuiam, non paucis uicibus & sectionis uenæ indigentia, & superflua quasi medicorũ diligentia, ut secũdum unamquanq; diem

C quid agãt in laborãtis corpore. Hos igitur curabis morbos sanguinis missione si ualida appareat ęgritudo, & si languentes ætate floreãt, uiresq; eis suppetãt. Expedit autem cõsiderare eum qui uelit sanguinẽ mittere, ne stercoris multitudo cohibeat coartetq; intestina: quę nobis molli clystere euacuãda sunt, ne fortassis uenæ ab intestinis attrahant superfluitatum aliquam putridam substantiam. Si ergo fuerit angina, hoc purga remedio: necnon si laterũ dolor: sin imbecilliores uideantur, si plus auferas sanguinis, lædere posse uidearis, clysteribus aluũ subducito ad tertiũ diem, nempe cum æger in tuto fuerit, & abstinentia opus fuerit. Detrahendus ergo sanguis ex brachio dextro uena interiore, sanguisq; auferẽdus iuxta eius habitum, & ętatem plus minus'ue diligenter metiendo. Eueniunt autem horum plurimis talia, rubores faciei, & oculorum mobilitates, & manuũ pandiculamenta, dentium stridor, pulsus maxillarum, coactio & refrigeratio extremarum partium, spirituũ desectiones per uenas. Statim à principio sanguis detrahendus, quod omnibus succurrat ad auxilium spiritibus abeuntibus necnon fluoribus.

De cura quę dicitur proprie instare ad symptoma: & de quodam medico quinquagenario qui seipsum phlebotomauit. HISTORIA XV

DVODECIMO De arte curandi morbos, capite primo, apud Galenum sic scriptũ est: Cum in dysentericorum deiectionibus, ubi uehementer rodunt, uel tragi succum, uel hircinum seuum, uel rosaceumceratũ per inferius indimus, quibus utiq; præsidijs ipsa exhulceratio intestinorum non sanatur, maxime si putrescens aliquid habeant, sed uires interim cõquiescunt. Atque id est cõtra symptoma instare, morbo ad id tempus neglecto. Quippe ubi uirium roboris fiducia est, adeò nunq; contra symptoma pugnamus, ut contra prorsus per ea nonnũquam præsidia quæ dolorem afferunt, morbos ipsos curemus, ue
D luti profectò dysenteriæ ipsi, mordentibus maxime medicamentis tum potissimum medemur, cum utiq; sit grauissima. Quippe medicus quidã quinquagenarius cum iam septem noctibus ægrotasset, nec uiribus admodum ualentibus esset, ubi dolor illi capitis uehemens in dextro potissimũ tempore est obortus, non expectans dum amicorũ quispiam ad se ueniret, sibijpsi nocte uenã incidit. Itaq; dolor illi protinus conquieuit. Cæterum longo tempore tum decolor, tum uiribus imbecillis, tum exilis mansit, aliq; corpus euis desijt (atrophian Græci uocant) sic ut uix pristinum habitum reciperet. Est porrò hic quoq; duplex medicorum contra dolorem instantiũ ratio. Altera qua delicijs cubantiũ subscribũt, altera ex artis ratione. Quippe si licet ægrum doloribus obnitentem ualentibus remedijs uno die persanari, qui tota neglecta curatione dolori tantum est intentus, non id ex artis ratione, sed in ægrotantis gratiam facit. At si ex dolore uires resoluuntur, atq; ex eo periculum impendet, & mitigari dolor, & roborari uires debebunt, quò & morbo resistere, & curationis spacio sufficere ualeant. Equidẽ noui quosdam tum medicos, tum ægros, qui dum animosi uideri uolebant, ob id ipsum perierunt, quod fortiter ac uiriliter contra dolorem semper sunt renixi, nec quod eum leniret quicq; ceperũt, sed in asperis & (ut ipsi interpretabant̃) affectũ destruentibus auxilijs perseuerarũt. Quos sanè spacio curatos esse satius fuisset, q̃ breui uiriliter mori. Quidam autem (ut sibi est uisus) generose dysentericos uehementissimo medicamento curãs, multos uno sanauit die, quosdã uero iugulauit. Erat nanq; eius medicãdi ratio eiusmodi: Cepas id genus q̃d Græci carton uocant, uno die comedendas cum pane dabat: tum paululũ bibendũ: postridie manè muriam acerrimã per inferiora infudit, secundũ hanc etiã pharmacum ualentissimũ. His igitur tolerandis quicunq; sufficere potuerunt, prorsus sunt sanati: aliqui uero conuulsione, aut animæ ex dolore defectu, unà cum madore cu

tis

A tis oborto interiere. Esto igitur terminus quem non transibit is qui ex arte generose cõtra morbum pugnat, ut tutò medicetur. Ei uero qui dolorem mitigat, ipsarum uirium custodia. Vbi ultra pergitur, crudelis hominis officium facit, qui unà cum morbo uitam quoque homini aufert. Qui uero cubantis delicijs subscribit, eiusq; uoluptatem pro meta gerendorum habet, adulatoris. *Terminus medicorũ tutò mederi.*

CAMPEGIVS.

Cum intestini tunicã per aluum deiectam cõspexeris, sitq; & latitudine & crassitudine ijs qui à tenuioribus soluuntur multo maior, nõ abs re conijcies hulcerationem in crassis intestinis consistere. In dysenteria, ut Galeno placet, mordax causa est affectus, utpote qui ab initio & abstergit, & abradit: dein temporis tractu hulcerat intestinum. Quod si antea quàm hulcus induxerit, egredi desinat, affectus ipse nondum dysenteria dicetur. Si uero hulcere præoccupet intestinũ, quamuis humor finiatur, non tamen simul finitur affectus. Sanè in præsentia nomen dysenteriæ propriè audire oportet, utpote quod ex appellatione ipsa, intestinorum hulcus significat. Neq; enim affatim fit huiusmodi affectus, id quod in eo quem hepatis uitio accidere dicit Galenus, fieri solet, atq; proprias etiã habet notas. Etenim, inquit, protinus ab ipsius initio, bilis mordax secernitur, quam deinde interaneorum abrasiones sequuntur. Postea paulum cruoris simul excerni uidetur: quando uidelicet affectus ipse iam dysenteria debet appellari. Quũ itaq; huiusmodi abrasiones solę excernuntur, considerandum est, num pingue quippiam simul cum ipsis deijciatur: ita enim in crassis intestinis hulcus cõsistere credendum est. Vbi uero cruorem quoq; excerni uideris, intueri oportet, utrum is reliquis excrementis ita sit admixtus, ut uniuersus misceatur uniuersis, an pars eius aliqua reliquis supernatet. Etenim si admixtus B est, in superioribus: si uero supernatat, in humilioribus intestinis hulcus esse portendit. Ac idem quoque abrasis excrementis uidere est: uerum non ita manifeste ut in cruore. Cæterũ non mediocriter conducit ad curationem, nosse in qua intestinorũ parte cõsistat hulcus. Nam si in superioribus intestinis est, ab epotis medicamentis præsidiũ petendũ est: si uero in humilioribus, clysterem subijcere magis conuenit. *Lib. I. de membris dolentibus*

De causis facientibus syncopam: De colica ex scammonea, & alijs modis colicæ passionis. HISTORIA XVI



LIBRO De ingenio duodecimo, cap. septimo, sic scribitur apud Galenũ: Quidam demum quadrigenis, ut nostis, laborabat, qui se cholericũ esse extimans non solum nõ proficiebat ab infusionibus & fomentationibus & cataplasmatibus & clystere, quibus cõsuete assueuerat uti in talibus dispositionibus, sed exacerbabatur amplius. In oleo denique rutaceo per anum immisso, deterius fiebat, & rursus in castoreo: & nimirum & mel quandoq; coctũ habens, piper assumens, ultime doluit: sed & succum cocti fenugræci cum melle accipiens, sufficienter exacerbabatur. Igitur coniecturans ego quidẽ humores mordaces in ipsis tunicis intestinorũ reclusos esse, simul secum corrũpentes & quæ deorsum immittebantur, & quæ per os accipiebantur: difficile corruptibilem ei cibũ dans, demum uidens minus dolere, cognoui oportere cacochymiam expurgare. Existente uero optimo ad tales cacochymias pharmaco quod per aloën, quod uocãt iam consuete picram, repente quidẽ nõ ausus sum purgare illum hominem, ab indigentia cõsumptum iam duobus mensibus: Ex interuallis uero quibusdam cõmensuratis, hoc faciens diebus, ut nosti, quadraginta, tandem sanaui eum nullũ ultra aliud offerens auxiliũ. Igitur hic quidem in illo tempore primum ita molestabatur, cum nondum antea doluissent intestina. Iuuenis autẽ quidã ætatis propè eiusdem, nõ paucis uicibus antea molestatus à colicis doloribus, purgatus est cum scammoneæ suc- *Exemplum primum.* *Secundum*

C co. Congrua uero euacuatione facta, in prima quidem dierũ balneatus ad uesperã, accipiens ptisanæ succum, demum supercomedens pisces, uomuit ea quæ assumpserat per noctem. In secunda uero lotus comedit, primũ quidem lactucas, deinde carnes pullinas coctas in albo iure: deinde accepit chondrũ ex aqua, superimmittẽs uinum austerum. Moderate uero conuersari extimans in his, cibatus est quidem & tertia die similiter. Reddebat autem uenter ei (postquam morsus erat) ampliora cibariorum proportione. Deinde secundum quartam diem adhuc magis doluit ea quæ secũdum uentrem: & existimans in balneo alicubi latenter infrigidatum esse, rutaceum oleum per anum immitens, doluit uehementius: & postea emisit humidam egestionem quammultã, ostendentem manifeste quod & ex corpore toto aliquid ferabatur ad regiones uentri adiacentes. Demũ deinceps ex periodis similiter molestabatur. Interrogãtibus autẽ nobis ea quæ contigerant, læsionem ex scammonea cognouimus in illis maxime factam esse intestinis, quæ prius etiam erant facta imbecillia, ut uelut rheumatica aliqua dispositio consisteret. Nosti igitur qualiter curaui & hunc: abijcere quidem iubens colica, id est ani auxilia, nutriui eum chondro calido aqua cocto, grana mâlorum granatorum miscens cum eo. Dormiens autem tota nocte sine dolore, admiratus est utiq; extraneũ auxilij. Interrogabat autẽ quid oportet bibere. Dedimus igitur ei bibere aquosum rhu, id est sumac succum, ut siue aliqua superficietenus fuerit facta circa intestinũ hulceratio, aperiat & deoppilet: siue si fluit aliquid secũdum consuetudinem ex superioribus regionibus in id quod patitur, reprimat. Et pulmento eo uti iussimus: demum circa uesperam cœnare uinorum aliquod austerum natura ac uetustum, infuso pane mundo. Cõcessimus autem & austeras fruges quascunq; ipse petebat, mâla uel pira uel mâla granata. Simi-

D lem autem & tertia die dietã habuit: in quarta bibens theriacam, atq; sanus denique factus est, & deinceps cõsuetis utens nullo lædebatur. Alij uero cuidam similiter dispositio, tempore æstatis, quia siticulosus erat admodum, cum alijs quę dicta sunt, etiam frigido potu uti cõcessi. Ne igitur quæres signa talia secundũ unamquanq; dispositionẽ, qualia pleureseos sunt, uel dysenteriæ: nam doctrinalis quidẽ est talium ægritudinũ dignotio, determinatis signis cognita. Cõiecturalis autẽ est ea quæ eorũ quæ nunc dicta sunt, & à solis ijs qui certissime sciũt uniuscuiusq; ægritudinis propriam curã, inueniri potest. Vidi deniq; quendã ex agrestibus operarijs, qui cum sentiebat colicũ dolorem, cingebatͣ quidem confestim, cum cingi antea non soleret. Comedebat autem cum pane allia, nullum derelinquens cõsuetum opus: bibebat autẽ per totam diem nihil, ad uesperã autẽ meracius: dormiens per totam noctem, manè surgebat omnino omnis doloris expers. Sunt autem allia ex eo escarũ genere qui flatum discutiunt, & minime sitim inferunt. Quidam non experientiam habentes eorũ, existimant cepis esse siticulosiora, sed omnino errant: non solum enim non sunt siticulosiora cepis, sed neq; omnino unquam sitim faciũt, & præ omnibus flatum discutiunt cibarijs. Itaq; ego demum rusticorũ theriacam allium appello. Et si quis uel Thraces, uel Celtas, uel deniq; eos qui frigidam terrã habitãt, uetuerit comedere allia, non parum nocebit illis hominibus. Igitur quicunq; quidem sine febribus dolerent uehemẽter circa intestina ex prædicta causa, ijs allia licet comedere, & antidotum quidem ex uiperis bibere: iuuat enim eiusmodi affectiones summè.

Tertium exemplum.

Quartum.

CAMPEGIVS.

Colica passio, est ægritudo maximi cruciatus in uentre sub cingulo intestino, quod dicitur colon. Supra aluum collocatur, colon crassioris intestini pars: peruium est ac late fusum, cellulis plurimis insinuatum, in quibus excrementa diutius immorantur, indeq; quandam recipiunt effigiem, Catoceliam Gręci uocant, ab aliquibus al-

Colon.

uum

A tium etiam uocari scio: reni sinistro inuolutus annectit, unde nephreticis colicisq; morbis dolores consimiles sentiuntur: abstinentia tamen inter cæteras notas discernuntur: illos eleuat, hos aggrauat cibus. Deinde id intestinum lienem attingit, sursum uersus ad dexteram stomachũ scandit. Huius ob id intestini noxius humor os stomachi afficit, & præcordia: unde lipothymia sæpe concidũt ægri. Serenus:

Cum colon inuisum morbi genus intima carpit,
Mande galeritam uolucrem quam nomine dicunt.

Hic morbus cordapsos etiã dici solet & cordios. Apud Celsum eleaca passio est morbus gracilioris intestini: eleos enim nõ ilios. Inde eleosi, qui laborant eo morbo. Iliosi uero dicuntur, qui iliorũ dolore torquent. Lagonoponos etiam apud Græcos dicit iliorũ dolor. Ilia enim Græci λαγόνας appellant, πόνος laborem uel dolorẽ. Remedia itaq; colicæ passioni sunt adhibẽda. Primũ, quibus ex frigidis tenacibus & crassis humoribus sunt dolores excitati, his prouidendũ ne uehementer incalescant; Nam si multũ incaluerint huiusmodi humores, magis inflant, quos interscindere cõcoquereq; oportet medicaminibus minime inflantibus attenuantibusq; ac arefacientibus citra nimiã calefactionẽ, in morbi primordio. Ex aluo igitur stercus educendũ commodis ei morbo clysteribus. Adhibendum oleum in quo coctum sit cyminũ, uel ruta cum adipe anserina, uel gallinacea, uel ex radicibus agrestis cucumeris excoctis, & myrrha, & blito, & oleo anethino, ac sæpe oleo cõmuni iniecto excernitur uitri faciem habens pituita, infestantemq; confestim dolorem placat. Quod si ob doloris magnitudinem cõsternentur, est balneum admouendum ex melle, cymino, nitro, rutæ semine arido, brassicæ caule probe feruefacto, & salsore irrigato, aut brassicæ cinis melli admixtus. Anus autem illiniendus succo cyclamini cum melle & nitro, aut
B centaurio cum melle, & nitro. Potiones autem sint absinthium & cyminum æquis partibus, uel panace cũ aqua, uel castorei & anisi & piperis drachma cũ oxymelle.

Cordapsos. Cordios. Lagonoponos.

Contra Attalum medicum de hepatis phlegmone. Item aliud exemplum de ingenio curatiuo apostematis uentosi. HISTORIA XVII



PUD Galenũ libro de morbis curandis decimotertio, capite nono, cum disputaret contra Attalum ex secta Thessali medicum, ita scripsit: Placet autem nũc ad memoriã reuocare tibi egregiam eorũ curationem quam Theageni philosopho Cynico adhibuerunt: Siquidem hanc norunt plurimi, propter uiri famã, ut qui publice disputare in Traiani circo quotidie sit solitus. Erat qui hominem curabat, unus ex Sorani discipulis, nomine Attalus. Is imposuit quotidie iocinori cataplasma ex pane & melle, haud intelligẽs uiscus hoc mediocriter adstringi debere, propterea quod animalibus altricis facultatibus principium sit, & uenosum ab hoc oriatur genus. Ita igitur uiscus curauit, sicut bubonas, meris scilicet & solis relaxãtibus utens: cataplasma ex pane & melle imponẽs, ac prius oleo calente perfundens, tum sorbitione ex alica cibans. Hæc nanq; tria ferme omnibus nunc amethodis istis Thessalijs ad acutorum curationem sufficiunt. Visum autem est mihi seorsum Attalum monere ut adstringens aliquid admisceret, nec nudis uteretur relaxantibus: ac de uisceris quidẽ natura nihil eram homini dicturus: Id enim fuisset planè asino fabulã narrare. Sed quo me persuasurũ homini arbitrabar, & cui õmes facile assentire uideo, id tantũ exposui: nempe longã experientiã medicos docuisse, ut iecur mixta medicamentorũ materia curarẽt. Eam autem scriptam inuenturum in ijs medicorũ libris, qui sint de medendi ratione cõscripti. Si ergo, inquam, tibi uidet, misce aliquid de absinthij coma diligẽter tunsa, cataplasmati. Oleo uero, totius herbæ aliqd, modice id queadmodũ alios cernis in illo incoquentes. Cataplasmati uero id qd ex unguento & palmulis fit, myrobolanu piesma uocãt, & irim, &

C iunci florem, aut narditidos herbæ radicem, aut cyperi miscebis. Nõ inutile sit & ex uino ea aliquando præparare, ac miscere interim etiam de fece ipsa. Quinetiam aliquid adstringentium incoquere malorum, cuiusmodi cotonea sunt, & quæ uocantur struthia. Præterea quæ Romæ abundant, uocata cestiana. Oleum uero (nam id quoq; uideo miscere te) nõ quodlibet esto: sed uel hispanum, uel histricum, uel crudum, uel lentiscinum, uel myrteum, uel melinum, uel nardinum unguentum. Porrò aliam materiam plurimam esse dixi eorum quæ incoquere liceret: Nam & lentisci tenera germina, et myrti, & rubi, & uitis præsertim syluestris à qua œnanthen uocatam decerpimus. Non alienum etiam sit, & atticum hyssopum, tum cataplasmati, tum etiam ceratis miscere. Nam & cerata quæpiam illi ex eiusmodi materia imponere post cataplasma suasi: & apponere illi tentabam uniuersam deinceps curationem, quò scilicet etiam quæ à medicis græcè epithemata uocantur, ex mixta materia componeret. Nam melius inquam est sublato cataplasmate aliquid super uiscus esse. Attalus uero sermonem interpellans, nisi multum (inquit) tibi tribuerem, nihil horum tolerassem: nam in quibus superiores medici passi naufragia sunt, priusquã uera medicina inuenta à nostris esset, ea mihi ueluti ignaro suades. Cætera treis, inquit, aut quatuor dies sine me Theageni ex mea sententia prospicere, & sanũ eum penitus cõspicies. Sed quid, inquam, si cũ subitò pauci, & hi lenti apparuerint sudores, moriatur: recordaberis ne quę promiseris, ac decætero sententiã mutabis? Atq; Attalus post hæc abijt irridens, nec quicquam præterea respondens, sic ut neque de alica quicquam me consulere permitteret, sed nec quod ex ijs quæ urinas cient, miscere aquę paulò post oporteret, quod scilicet iocinoris gibba essent afflicta. Nam sicuti iocinoris cauum per aluum purgatur, ceu paulò suprà diximus: sic gibba eius
D per ea quæ modice urinas mouent, cuius generis est apium. Procedente autem tempore ubi phlegmone iam concoquitur, etiam ualentioribus uti licet, asaro, & celtica nardo, & phu, & petroselino, & smyrnio, & mio: sicut etiam per uentrẽ uacuare, si cauum afficitur, cnico cibis admixto, & urtica, & mercuriali, & epithymo, & filicula: omnibus præterea quæ modice aluũ deijciunt, magisq; in remissionibus tum his ipsis audacius utendũ, tum uero quæ his sunt ualentiora, partim in ptisana incoctis, partim tunsis, ac in mollissimũ puluerem redactis: exhibenda uero & hæc sunt uel ex ptisana, uel ex aqua. Ego nanque etiam filiculæ aliquid in ptisana aliquando incoxi, & nigri ueratri corticẽ. Etiam clystere uacuare eos conueniet: inter initia uel sale, uel nitro, uel aphronitro aquæ mulsæ admixto cõtentis: in remissione uero, potissimumq; si quid scirrhosum relictum è phlegmone est, etiam ualentiora medicamenta miscentibus. Quippe hyssopum eo casu aquæ incoquimus, & origanum, & colocynthida, & minus centaurium. Opportunissima nanq; ad scirrhũ sunt iecur & lien: siue quis parum habita de his ratione, glutinoso cibo utatur (sicut Attalus qui Theageni quotidie alicam exhibuit) siue nihil offerat quod tum obstructiones eximat, tum detergeat. Verum quod contigit Theageni, uel potius Attalo, dici est tempus. Vt enim promiserat post treis dies daturum se hominem à iocinoris phlegmone liberatum, tum magis quàm prius calente oleo uiscus plurimum perfudit, tum cataplasmate frequentius est usus: hac diligentia felicius sibi curationem cessuram sperans: respondítq; percontantibus de Theagene gloriabundus meliora. Cæterum contigit prout ipse prædixeram, subitò hominem mori. Et quod omnium maxime dignum risu fuit, ducebat Attalus secum ex ijs qui de hominis statu rogassent quosdam, quibus ostenderet adeò rectè eum se habere, ut iam esset lauandus: lætusq; cum multis ingressus est domum in qua iacebat: cum Theagenem mortuũ quidam ex amicis, qui & Cynici quidam erãt, & alioqui philosophi, lauare ex more parassent. Itaq; etiam usq; ad mortuũ accedere, idq; unà cum spectatorũ cœtu Attalo

A talo contigit, utpote cum nemo intus lugeret. Nam Theageni nec seruus erat, nec puer, nec mulier: sed cum eo soli amici philosophantes uersabantur, qui iusta quidē mortuorū, citra tamen omnem luctum obibant. Atq; hanc laudem Thessalius asinus inter multos spectatores est cōsecutus: ostendens explicatum à phlegmone hominem intra quatuor (ut pollicitus est) dies. Reliqui uero methodici cū innumeros quotidie iugulent, adeò rationem curandi mutare adhuc nolunt, ut quæ à medicis sunt scripta qui artis operibus uere insudarūt, ne uel semel experiri uelint: adeò indelebile uitium uehemens ignorantia est, præsertim si cum superbia sit coniuncta. Eiusmodi igit͠ in omnibus sunt Thessali sectatores. De apostemate uentoso dicendum est, quod phlebotomia maxime eos iuuat. Noui deniq; ego quendam eorum qui à me curabatur in tribus diebus per phlebotomiam & pharmacū istud: Cerotum rhodinū simplex faciens humidum, perinde atq; in catagmatibus utimur cum aqua frigida. Etenim æstatis erat principiū, infundens & emolliens imposui pudendo & lumbis nominatis. Hic quidem ita curatus est. Isto uero nō minus alius cum phlebotomia, humidoq; pharmaco quod ex chamæmelo fit, utens. Do uero eis & nenufar bibere demū secundū principia: deinceps autē agni, id est casti semen: & si tēpore prolixo durauerit, de ruta copiose comedere. Etenim & hoc pręceptū exemplum commune in omnibus ferè quæ per malos humores cōsistunt ęgritudinibus, quod infrà est calefacientibus, & siccare potentibus utêris: finaliter enim abscindūt hæc id humoris quod derelictum est.

Ignorantia superbiæ iuncta indelebile uitiū

CAMPEGIVS.

Inter uehemenrer respirandum, nonnunquam grauitatem in dextra pręcordiorum parte sentimus: id si citra febrim eueniat, aut obstructiōe, aut dura dispositione B hepar laborare conijciendum est. Veluti si inflammatione infestatur, febrim comitari necesse est. Vnde manifestū est, ut Galenus alibi scribit, quod durus in ipso tumor (Græci scirrhon uocant) multo euidentius dignosci potest, eo quod durior sit scirrhi ipsius, q̄ inflammationis moles, quodq; in huiuscemodi dispositione extenuata sint corpora, quæ ei incumbūt. At uero tractu temporis, quamuis magis increscat scirrhi cumulus, non tamen æque facile fuerit per tactum ipsum cognoscere, intercipiente scilicet iudicium aqua inter cutem, quæ illico scirrhum sequi consueuit. Quippe nisi hepar afficiatur, haudquaquam fieri potest huiusmodi affectus. Non tamen semper ob primariā eius affectionem excitatur: quāuis hoc sit quamfrequentissimū. Etenim quia ipsum, eius facultatis quæ sanguinem gignit, instrumentum est: consequens est, ut uitiato hoc uiscere, actio quoq; eius uitietur. Accidit autem cum aliam atq; aliam partem frigida intemperatura afficit, ut hepar quoq; refrigeretur. Igitur si uel lienis causa, uel uentriculi, uel intestinorum uniuersorum, maxime ieiuni, mesentericæ uenæ, habituali intemperatura afficiant͠, facile etiam unà refrigerare possunt omnes simarū iecoris partiū uenas. Quo fit, ut ad hepatis quoq; corpus, intemperatura ipsa perueniat. Si uero uel pulmonis, uel septi transuersi, uel renū occasione, id accidat, in primis uenæ, quæ uisceris huius partibus gibbis consistunt, per cōsensum afficiunt͠: deinde tractu tēporis hepar quoq;, eadē dispositione infestatur. De obstructione uero hepatis, nō æque certę habent͠ cōiecturæ. Etenim quod simarum partium uenæ, ab ea quæ in porta exoritur, in tenuissimas extremitates finiantur, haud obscure apparet. Atq; quod ad eundem locum aliæ quoq; uenarū extremitates, à cōcaua uena in gibbas uisceris partes distributarū, peruenanit, similiter constat: Licet quomodo per sua ora ipsæ inter sese cōiungantur, uidere nequaquam possimus. Neq; enim, inquit Galenus, dubitat aliquis, quod cibus uniuerso corpori distributus, ex omnibus simarum partium uenis exiens, ad gibbas partes per dictas extremitates transumitur. Quod si fateamur, sanguinis transitum, ob tu-

De locis affectis libro 5. capite 7

C moris cuiuspiam molem cōstringi, rationi consentaneum esse uidetur, ut nonnullis placuit, ut pars quæ in sanguine magis tenuis atque aquosa est transumatur, atque uehatur per uniuersum corpus: syncerus aūt sanguis, qui propter sui crassitudinem, in uisceris substantia permanet, morborū qui ex plenitudine fieri solent, causa esse censeatur. Quod enim aquosa sanguinis pars transumpta in uenam cōcauam, usque quaque per corpus dispergatur, cōsequi uidetur ad ea quæ iam in confesso esse diximus. Quod uero cōtra crassior sanguis in uisceris uenis conclusus, ad intestinū ieiunum, & colon, & cœcū, atque rectum deferatur, & (ut quispiam dixerit) in uentrem fortasse, nemo unquā uidit. Neque hepatis præter naturā tumoribus, neque etiā obturationibus, uerum in omnibus corporis partibus, tum superioribus, tum inferioribus, pituitosus sanguis cōtineri conspicitur in ijs morbis, quos Græci & anasarcas, & hyposarcas nominare consueuerunt. Per alium autem nihil cruentū, neque in ijs, neque in Ascite, neque in Tympanite secerni solet: sed spaciū quod inter peritonæum, & partes ei adiacentes est, aquoso humore impletur.

De tumore linguæ. HISTORIA XVIII


DEcimoquarto De ingenio sanitatis libro, capite viij. uerba in hunc modum facit Galenus: Linguam demum equidem ita eleuatam uidimus, quod non capi ab ore hominis posset, neque phlebotomari unquam, & ætate sexagenis. Decima uero hora ferme diei erat, cū primū uidi eiusmodi, qui mihi purgādus uidebatur esse consuetis catapotijs, quæ ex aloë & scammonea & colocynthide cōstituimus, ad uesperam dato pharmaco. Super hæc, particulæ quæ afficiebatur, eorū quippiam quæ infrigidant, imponere consului, prima die: postea inquam aptabimus aduenientes. Sed uni demum cuidam medicorū nō
D uidebatur, & propterea ex catapotijs, id est pilulis accepit. Dilatata uero est scrutatio, quæ de locali pharmaco in posteriorē diem, cum & magis perfecisse quid, quod probatum erat speratur. Præeuacuato uero toto corpore, & antispasi, id est reuulsione ad inferiora facta, per noctem demum manifestissimo somno ei facto, & laudauit nostrum consilium, & determinauit pharmaci materiam, lactucæ succum, & gargarissari iubens: quo utique solo utens homo iuuatus est finaliter, ut non ultra alio indigeret. Quod demum nimirum in priapismo magis uomitatiuis pharmacis uti quàm impilatis, id est subductiuis. In lingua uero econuerso palàm est, quod ex positione particulæ habet indicationem: antispasis enim quæ ab Hippocrate nominatur, non à substantia, sed à positione eius quæ curatur suscipit particulæ.

CAMPEGIVS.

Simile exemplum posuit Galenus libro primo De differētijs morborū, sub hac uerborum serie: Nicomacho autem Smyrneo ad tantam molem corpus increuit, ut loco moueri nō posset: sed hunc aiunt Aesculapio curatum. Nos autem, infit, uidimus cuiusdam linguā supra modum absque ullo doloris sensu excreuisse. Nam neque mollem tumorem, quod Græci œdema appellant, neque durū, quod ijdem scirrhon appellant, neque inflammationem patiebatur, neque enim prementi manui cedebat, aut omni sensu carebat, aut dolore infestabat: sed nullum malum præter immodicam magnitudinem ostendebat, nihil ipsa substantia uitiata. Sic & testiculi & ubera, alijs uterque, alijs alter tantūmodo supra modū increuit. Hæc ille. Sed ampliora uidebis in primo lib. huius, historia prima. Lingua inter ea quæ sermoni & loquelæ deputata sunt membra, principatū obtinet: cui non parū conferunt & nares, & labra, & dentes, ad ueram loquelam & uocē. Siquidem uox uocaliū instrumentorum munus est. Sic etiam uocis instrumenta sunt guttur, & musculi ipsum mouentes, atque nerui, qui à cerebro ipsis uim deferunt. Igitur, ut Galeno placet, si uel claudentes

A dentes uel aperientes guttur musculi immobiles reddantur, qui sic afficitur, obmutescet. Vbi uero uel difficulter mouentur, uel uibrant, aut tremunt, pro affectionis ipsius modo, uox ipsa lædetur. Similiter si uel conuellendo, uel quatiendo mouentur, aut ubi imbecillæ sunt ipsis uires, siue ob suam ipsorũ, siue ob neruorũ ipsos mouentium affectionem, obscuram efficient uocẽ. Quod si alius quispiam ex mouentibus guttur musculis quoquo modo afficitur, lædetur quidem uox, sed paruũ erit uitiũ, atq; sic affectus neq; obmutescet omnino, neq; ita exiguam habebit uocem.

De cura obesitatis & multæ carnositatis. HISTORIA XIX

GALENVS decimoquarto De morbis curãdis: Opportune inquit, iam de curatione horũ cõsiderabimus, orsi ab ijs qui corpulẽtia nimiũ onerantur. Ostensum uero in libris est, qui De temperamentis sunt inscripti, quod calidior sicciorq; temperies exile corpus reddit. Ergo id agendum, ut nimium obesi corporis temperamentum tale esse faciamus, si modo ad debitum modum redibit. Sanè docuimus tum in illo opere, tum nihilo secius in opere de tuenda sanitate, quod acuta exercitatio, & tenuans uictus, & id genus medicamenta, & animi cogitatio, temperamentũ non solum calidius, sed etiam siccius, ac propterea corpus exilius reddũt. Igitur in exercitationibus celerrimus cursus est idoneus. Tenuantis uero uictus materia seorsum singulari libro est prodita. Quod si medicamenta quoq; requirent, etiam hæc in operibus quæ de medicamentis conscripsimus, sunt ædita: quanquam referentur eorum nunc quoque quæ sunt efficacissima, quibus ubi demere nimiam obesitatẽ studes, utaris suadeo. Ergo quæ ad articularia uitia quidam exhibere solent, quæ scilicet ualentem dissipandi facul-
B tatem habent, ijs tu quoque cum nimiam obesitatem curabis, utitor. Sunt porrò talia, rutæ semen, præsertimq; syluestris, unà cum ipsis corymbis, & aristolochia rotunda, & minus centaurium, & gentiana, & polium. Prȩterea ex urinam cientibus, ea quæ pollentes habent uires, ueluti petroselinum: Vnumquodque enim talium tum ipsum per se, tum uero mixta uniuersa, & extenuare potẽter succos, & uacuare sunt habilia: partim quidẽ sensibiliter per urinas, partim per insensibilem transpiratum. Sed & sal quod ex combustis fit uiperis, potenter extenuat. Multiq; cum uel graciliores, uel mediocris habitudinis essent, ex eiusmodi medicamentorum potione perierunt, sanguine ipsorum excocto. Ruerant autem ad ea propterea quod liberatos aliquos articularijs uitijs uiderant: minime scilicet æstimantes, quod temperies eorum qui sanati fuerant, humidior pituitosiorq; erat, qualis nimirum obesorũ est, in quibus eiusmodi medicamentorũ securus est usus. Ipse nanq; iuuenem quendam quadraginta circiter annos natũ, oppidoq; obesum percuraui, usus tum antidoto quæ aduersus articularia uitia est composita, tum sale theriaco, ipsaq; theriace, ac reliquo extenuanti uictu, & pro exercitatione cursu ueloci. Porrò præparaui hominem ad cursum, perfricando primũ linteis asperis, quoad cutis ruberet, dein statim cum oleo quod in se digerens aliquod medicamentũ habuerat: quo etiam post cursum rursus utebar. Talia medicamenta sunt tum syluestris cucurbitȩ radix, tum althæa, tum gentiana, tum aristolochia, tum panacis radix, tum poliũ, tum centaurium. Per hyemem uero etiam à balneo iam dicto oleo hominem reunxisse profuerit. Verum cibum exhibere non statim à balneo, sed interposito somno conueniet. Quod si uelit etiam rursus ante cibũ lauari, permittes. Magis etiam ad rem pertinebit, si aquæ ipsi digerendi facultas insit. Ac si quidem talem aliquã sponte natã habemus, ipsa utemur: cuiusmodi in Lesbo uisitur, à Mitylene stadijs quadraginta: Sin minus, ipsi similem aliquã moliemur. Est porrò ea quæ in Mitylene cõspicitur, & uiribus & colore talis, qualis utique fiat si quis florem salis mari misceat. Hȩc ipsa aqua

C etiã hydropicis, & reliquis tumefactis idonea est, utpote ualenter desiccans, ita profectò ut præpinguibus: ac præcipue si quis cogat in ea celerrime natare, nec post lauationem protinus esse, bibereúe, sed somno interposito, aut omnino saltem quiete. Sanè illud est sciendum, atq; ab eo qui obesitatem curat prædicendum, quod aliquando ex multo simul obito motu, & febri hominem tentari est credibile, & quod febris ad rem propositam nõ aliena erit: utiq; si medicus recte omnia faciat. Etenim perspicuum est, ubi ex lassitudine febricitarint qui ita curantur, quod sopita eorum febre, rursus ad eandem curationis formulam redibunt. Sanè fugere in ijs curandis cõueniet & uina quæ multũ nutriunt, cuius generis crassa sunt; uti uero uel aquosis, id est colore albis, & substantia tenuibus, uel quibus mare est admixtum.

CAMPEGIVS.

Corpus cum ad immensam carnis magnitudinem excreuit, eliquandum ac purgandum est. Demonstratum autem est calidum temperamentũ gracile corpus efficere: adducenda ergo ingerendaq; tali corpori caliditas est, si ad mediocritatem uelimus perducere. Diximus uelocia quoq; exercitia optime attenuare: animi quoq; curæ temperamentum totum aridius esse ostendunt, corpusq; tenuius. Quis autem uictus attenuet, in Syluis nostris Gallicaq; Rosa abũde dictum est. Vehementiora uero medicamenta, rutæ semen, magisq; agrestis, aristolochia quoque & tenue centaurium, gentiana, piper & pulegium, horũ quodlibet per sese & cum alijs inuicem satis humores attenuauerit. Ipsa quoq; theriaca attenuat & distrahit. Vino utendũ colore albo, substantia tenui: oportet autẽ nõ bibere ante cibum, neq; multitudinem esse potam, cibumq; esse simplicẽ. Præstat & iuxta exercitiorũ rationẽ minora inferre nutrimenta fricta. Ex aridis rebus fricandũ corpus & pauculo sale. Iuuat corpulẽtos multũ esse sub sole. Mingere prodest etiã ad alui subductionẽ. Iuuat
D ipsos potum hoc, si semel in hebdomada, aut bis sumat: Piperis drach. una, petroselini uncia una cũ dimidia, aneti, asari, singulorũ uncia dimidia. Sitq; dosis pars media.

De Herpete. HISTORIA XX



DECIMOQVARTO De curandis morbis, capite xvij. apud Galenum sic scriptum reperitur: Si quis toto prius corpore purgato, mox quę influentem humorẽ reprimant regerantq; medicamẽtis utatur, iam herpetem curauerit. Sin neutrũ horum fecerit, sed tantum ea quæ cicatricem inducunt adhibuerit, utiq; exhulceratam cuticulam ita sanauerit, proxime tamen illi quo minus exhulceretur, non cõsuluerit. Postmodũ uero illa quoq; cicatrice inclusa, quæ ipsi continua est, exhulcerat: idq; longo spacio ceu malo ipso serpente fit, donec humor unde ortum est, sit uacuatus. Etenim Romæ mulier quædam illustris cum herpetem in malleolo haberet, primũ quidẽ medicamento quod algam recipit est usa. Hoc cum protinus cicatrix induceretur, proxima illi summa cutis est excoriata, ueluti ex desquamatis. Cui cum deinde superpositum medicamentũ est, rursus illi cõtinua est exhulcerata. Idq; ita assidue perrexit, donec ad genu exhulceratio perueniret: cũ interim quiduis potius pati, q̃ medicamento quod bilem traheret, purgari parata esset. Itaq; etiam, quod fieri in talibus assueuit, quoniã pleriq; culpant nõ culpanda, dãnata ex alga medicamẽto, aliud admoueri iussit. Deinceps igitur quod ex sandice componitur, utebamur. Vt uero id quoq; q̃d exhulceratũ iam fuerat sanauit, quod uero nunc exhulcerabatur non inhibuit, sed iam ad bubones usq; uitiũ ascenderat, ipsa necessitate coacta, serum se lactis sumpturam annuit. Immittentes igitur clanculũ minimũ scammonię, inuitam purgauimus, ac sanauimus.

De Romana muliere.

CAMPEGIVS.

Herpetes autem quantũ ad totius corporis euacuationẽ attinet, similiter erysipelata

A lata curare oportet. Summatim uero hæc te cognoscere oportet, quod omne hulcus siue sponte siue ex accidenti factum fuerit, exiccari desiderat medicamento, ut inquit Hippocrates, non aspero, hoc est non mordente neque uehementer irritante, præterquam ubi malignum & cum putrilagine fuerit. Talia enim acriora expetunt medicamina, & quæ ignis uires habent, quale est misy, & chalcitis, & arsenicũ, & calx, & sandaracha. Etenim nõ aliter quàm ignis adurunt medicamenta huiuscemodi. Sæpius uero ubi ista cesserint, ipsum ignem adhibemus.

De uerrucis, formica, & alopecia. HISTORIA XXI



APVD Galenum libro De curandis morbis decimoquarto, capite decimo septimo, sic scriptũ reperitur: Plurima nanq; inueniuntur hodieq;, quæ apud maiores nostros non fuere inuenta: ueluti nunc Romæ quidã excogitauit quemadmodum acrochordonas & myrmecias ore sanet. Verũ de prioribus, utpote à cute extantibus, minus est mirum: de myrmecijs uero, potissimum quę cum summa cute prorsus sunt æquales, mirum uidebatur. Veruntamen has quoq; certa primum labiorum applicatione, ceu suctu ad se traxit, atq; à radice euulsit: deinde primoribus apprehensam dentibus, totam simul exemit. Sed & scalpro ad myrtacei folij speciem formato, & ferramento eo quod scolopomacherion Græci uocant, quispiam manibus exercitatus, facile eas excidat: quũ proprijs lineamentis à circumposita cute circũscripta discernãtur. Aeque uero & ualente aliqua pinna circulo myrmecię imposita, ipsam educimus. Debebit porrò pinnæ fistula esse myrmeciæ crassitudini par, ut eam undique prorsus constringat. Quæ postea circumacta, ac simul deorsum impulsa, celerrime ita myrmeciam etiam cum ipsa radice totam educet. Constat uero & quod finis ipse pinnæ quæ eam circulo secabit, nõ tenuis modò, sed etiam acutus & firmus esse debebit. Itaq; tum galli ueteris pinna, tum uel magis aquilę, ad hunc usum est commoda. Abscindere uero ab his tantum radicem uersus oportet, quatenus reliquæ partis fistula cõplecti myrmeciam possit. Sanè ex ipsa statim abscissione, si modo scite fiat, etiam acumen ipsi comparabis. Atq; hoc quidem ratio inuenit, nõ casus. Iam quod hæc uehementer attrahentibus sursum uelletur, & putrefacientibus enecabitur, ratione ab aliquo est inuentũ, qui ijsdem postea usus, experientia rem comprobauit. Ego autem, sicut nostis, & iam factas alopecias sanaui, cumq; purgatione sola, nullum ulterius pharmacũ adijciens patienti particulę. Promotus autem fui ad habendum ampliorem experientiam ex quodam fortunio tali. Iuuenis quidam euetitius exercitator habebat in capite hanc passionẽ: cõsuetudo erat aũt nobis petere scire diętam eius. Reperi igitur quod mensibus iam tribus aut quatuor utebat̃ ferè quotidie fungis. Hunc purgaui solummodo hiera diacolocynthidos, bis in xv. diebus: in quibus diebus prima quidẽ purgatione per quatuor drachmas, secũda uero per quinq;. Ante autem q̃ ad has purgationes ueniret, dedi sibi eos quæ ex aloë fiunt pilulas undecim. Habent autem hæ colocynthidis partem unam, de aloë autẽ & scammonea ab utraq; duas. His ergo misceo unam partem succi absinthij: prius uero & de mastice miscebam & bdellio: sic enim utebat̃ cautius. Sed quare spreui postea hoc, sermo est alius, seruatus in libris De pharmacorum purgatiuorum cõpositione. Cumq; deberem post has tres purgationes apophlegmatizare hominem, deinde uti pharmaco in patienti particula, contingit mitti ipsum subitò in peregrinationem, in qua diætatus euchymis cibarijs quæ audiuit à me: post dies quasi uiginti redijt curatus à passione, quę circa capillos. Ab hinc autem procedens, huiusmodi curam feci in alijs, ut uiderem id quod fieret absq; pharmacijs, quæ apponuntur capiti, & omnes simili modo curati sunt. Cuidam aũt utenti ad hanc alopeciam passionem adipe ursino, & nihil proficienti,

Exemplum primum.

B

Galen. I. Myamir tractatu, cap. I

Secundum.

Tertium.

C consului miscere spumam maris combustam, à qua citò curatus est. Lucernæ uerò oleum non secũdum aliam aliquam rationem est idoneum, quàm ex eo quod subtili parcius est reliquo: Aduenit enim hoc ei ex ea quæ est uelut coctio in lucerna, & fit antiquo & cicino simile, sicut & si alio modo uelles oleum calefacere in igne: nam sordes quæ ex lucerna fit, assimilata luto liquido, in his qui sunt in ruribus, cognita fuit à nobis curare hulcera, quæ fiunt in medio digitorum, qui sunt in pedibus, quæ frequenter eis fiunt propter illotionem & negligentiam expurgandi eos quolibet die. Hac igitur lutosa sorde cõsului cuidam rusticorũ radere alopeciam, quam mihi ostendit, & ungere siccando cum hoc locũ frequenter. Curatus autem fuit ab ipso: & alios attentauit ita curare, extimans omnem alopeciã ab hoc pharmaco posse curari. Ego autem quia moderatam uidi eius dispositionem, speraui ea à sorde sanari.

Achor. Vna quædam earũ quæ in cutis capitis passionũ fiunt est uocata Achor, ex genere quidem tumorũ præter naturam existens: propriam autem & præcipuam nuncupationem sortiens, ex proprietate symptomatum. Subtilibus enim ualde foraminibus perforat, humiditatẽ subtilem habẽtibus, & liquoris parum uiscosi. Appropin-

Fauum. quat autem eis secundum speciem alia passio, quam uocant Fauum. Habet autem foramina maiora, humiditatẽ cõtinentia, melli quod est in fauo cõsimilem. Generatio aũt eis ex humiditate est permixta, ex subtili ichore mordaci & grosso humore.

Quartum. Carens autẽ ego aliquando in agro, eo quod per chartã pharmaco, & uidens in domo patientis chartã inutilem, petij lucernã: deinde cõburens chartam, permiscens aceto, unxi patientem particulam, pręcipiens homini uenire ad me sequenti die: noueram enim quoniam duræ carnis existens toleraret pharmacũ. Cumq; ueniret & paulò minus esset curatus, transire quidẽ ad aliud pharmacũ non putaui fore iustũ:

D Illo & eodem autem uti consulens, sanum perfecte uidi factum sequenti die.

CAMPEGIVS.

Verrucæ. Verrucæ sunt caro egressa, spissa & dura, per totũ corpus nata, sed tamen maxime in manibus & pedibus, quas expellit natura in corporis exteriora. Sunt autem de pituita & bile atra. Quę mollis est & sine dolore, de pituita: dura & spissa perpendĩ esse de atra bili. Lupia & acrochordo uerruca curas habent cõsimiles: naturales

Alopecia. tamẽ res diuersæ sunt. Alopecia morbus est in capite humano & barba, ex uitio humorum, cum profluuio capillorũ proueniens: dicta à uulpe, quæ græcè ἀλώπηξ dicitur, quod ea crebrò id genus morbi patiatur. Curatio autem earũ quæ in superficie cutis abscedũt inflammationũ, fit incipiente quidem iam abscessu, per ea quæ dolorem sedant, atq; elaxant: procedente uero tempore, ad ea quæ digerendi ac suppurandi uim habere dicũtur, transferri oportet. De his autem dictum à Galeno est in quinto De medicamentorum simplicium potestate tractatu.

De succo nucum. HISTORIA XXII

IN libro Myamir tractatu sexto, capite primo, sic scriptũ apud Galenũ reperitur: Ego, quando primo ab Alexandria redij ad patriã meam, dum irem ad agrum, inueni quendã hortulanũ, & uuulam & paristhmijs & antiadibus suffocationẽ patientem. Vtebatur autẽ collutione mellicrati, coctis in eo rosis. Videns autem ego fructum nucum existentem in statu, iussi afferri corticem earũ extrinsecũ quo uidemus tinctores uti, & mox terere in mortario, & per pannũ colare succum eius, nõ cognoscens qualiter se habebat in crassitie aut subtilitate. Inuento autẽ ipso aquoso & subtili secundũ consistentiam, colluere iussi hortulanũ os eo. Quia uero ualde subtilis apparuit mihi, pręcoxi, & miscui mel cõmensuratũ, sicut in eo quod diamoron sciui misceri: coquens autẽ usq; ad melleam cõsistentiam, dimisi hortulano. Videns aũt quod citissime secutũ est iuuamen, puta

ui bo-

A ui bonū esse, habere in multis experientiā de ipso, & exinde sufficientē approbatio=
nem assumens de uirtute huius pharmaci, semper utor eo, sicut nostis. Mirari igitur
cōtingit mihi de anterioribus medicis, q̄d nullus eorū excogitauit inuenire hūc ge=
nerosum succū, & uti eo, & maxime cum uiderent quomodo tingunt manus ex=
purgantiū nuces uirides: apparet enī ex ijs qualis est succus ipsarū, & quomodo est
difficile abiectibilis stipticatio earū, ut neq; per fortissimas lotiones auferat. Adhuc
autem miratus sum magis de quibusdā medicis, quia uidentes tinctores utentes ijs
corticibus nucū, non considerauerunt uirtutem earū fortem. Optimū igitur suasus
ego esse succum nucū, & coctū cum melle gustans, & nil indelectabile uidens habe
re, in quatuor modos diuisi eius coctionem: Immitto enim primæ aliquid uini stipti=
cantius: secundæ uero de myrrha & croco: tertiæ autem de sulphure uiuo & nitro:
quartam aūt cōseruo solam puram, infantibus in primis utilem, propter dulcedinē,
& debilibus mente uiris & mulieribus. Ego quidē igitur à ratione deductus inueni
hoc pharmacū omnibus melius esse. Est autem & id quod per mora rubi fortius, q̄
diamoron, sicut & hoc eo quod per mustū. Omnibus autem ipsis est melius id, q̄d
ex succo nucum.

CAMPEGIVS.

Nuces dicūtur quæ foris duro teguntur, & intus habent quod esui est, nucleum
uocant. Nux uiridis calida in primo gradu, arida in secūdo: habet tamen humidita=
tem superfluam. Viridis aluum citat. Sunt qui putant si quis nuces manducet cum
ficubus & ruta ante cibum, à letali medicamine immunem fore. Ex succo autē cor=
ticis eius fit dianucum, & ualet ad omnia ad quæ diamorum. Vocat autem illud Ga
lenus suum pharmacum, quod fit per succum nucum, quoniam quidem omnium
est efficacissimum.

B De uiribus theriacæ. HISTORIA XXIII



GALENVS in libro De theriaca ad Pamphilū, infit: Doctorū uero meo=
rum senissimus uir, ultra aliquē aliū utens experientia, & epielcia men
tis excellens Hemilianus nequiens dixit, quod quandoq; Italicorū ter=
ram pestilentia opprimens acutas mortes, & corruptiones intulit. In ti=
more autem omnibus similiter & medicis & principibus existentibus, aduenit ei co
gitatio ut uteretur theriaca, alijs omnibus auxilijs nihil operantibus: quo facto, qui
dam ægrotantiū, qui eam receperunt, remanserunt securi: quidā uero mortui sunt:
qui uero antequam ægrotarēt acceperūt eam, non solum periculum, uerumetiam
experientiā passionis effugerunt. Et nullum est mirabile, siquidem & mortalia phar
maca potest superare & uincere, & corruptionē aëris molestantem homines, quod
multos medicorum & omnes idiotas latet communiter: & nō est mirū, opera enim
sunt ex quibus cōsistit & succi & cortices & carnes & flores. Sicut autem singulum
istorū sufficiens est tempus ut faciat debile, ita & totius ipsius pharmaci compositio=
nem. Et hoc cōsiderantes gratiosissimi medicorū uendunt, & dant eam quæ est ual
de antiqua: ipsi autem cum tempus requirit purissimo & temporaneo utuntur hoc
pharmaco, & non defortunanī ab adiuuamine. Summopere laudamus mirabilē
Hippocratē, quoniā pestilentiā illam quæ de Poëmia ad Hellines attinxit, nō aliter
curauit, nisi uertens aërem, & alterans, ut nō attraheretur per respirationē talis exi=
stens. Iusserat enim per ciuitatem totam accendi ignem, non simplicem accensionis
materiam habentem, sed serta & florū odorabilissimos consulebat esse nutrimentū
ignis, & superinfundere in ipso quę pigmentorū pinguissima, & delectabilem odo
rem habentia, ut sic purissimū effectū respirarent homines ad liberationē eorū per=
mutatū aërem. Eodē modo putamus et theriacā, uelut quendā & ipsam ignem pur
gatorium, eos quidem qui præbibunt eam in pestilentiali constitutione nullatenus

C sinere occupari ab hoc malo: eos uero qui iam anticipauerũt pati, sanare posse, permutantem & uertentem respirandi aëris malignitatem, & nequaquam permittentem corrumpere syncrisim, id est concretionem. Quocirca ego cõsulo, propter has quæ fiunt repente circa aërem constitutiones, & propter alias nocentium causas, accipere de hac antidoto frequenter etiam sanum existentem: etenim his quę extrinsecus occurrũt, resistit corpus, scilicet per uirtutẽ theriacę: & cum iam patitur, facile sanatiuam inuenies: hæc enim uelut eucrasiam quandam & sanatiuam cõsistentiam efficit corporibus, consumens superfluas humiditates, & calefaciens infrigidatas partes, & innatam uirtutem roborans ad naturales actus explendum bene. Maxime autem in itineribus consulo tibi de hac antidoto accipere, quando frigido existente aëre iter agis: est enim uisceribus super omnia benigna. Noui autem eam & ad animæ prudentiam & acuitatem non esse inconferentem: sensus enim agere prompte efficit, & syncerum à uaporibus ostendens totum intellectum. Et difficile passibile esse corpus præparat, ut neque à deliterio aliquo corrũpi possit: uaria enim & tanta mixtionis huius pharmaci uirtus præfatam eius uix passibilem efficit, & maxime ultra hæc aduersus ferarũ mordicationes. Aiunt autẽ & Mithridatem illum generosum bellatorem, theriacam quidem non accipientem: nondũ enim erat inuenta: sed antidotum assumentẽ multę mixtionis, & ipso nomine eius uocatam: Mithridatũ enim nominatur, propter generatam ex eo corpori impassibilitatem non posse accipientem deliterium mori. Quãdo enim bellans aduersus Romanos, uictus à Pompeio, & in ultimis existens à pharmaco Bulyani mori cogebatur, bibit de eo, & multũ de ipso assumpsit, ipse quidem non fuit mortuus, sed filiæ suæ uolentes ei cõmori propter dilectionem quam erga ipsum habebant, bibentes ipsum pharmacũ, citò mortuæ sunt: deinde cum tardaret mori à pharmaco, propter antidotum quod bibebat

Historia Mithridatis regis.

D nihil agere potente, uocato uno amicorum eius iniunxit occidere, & ita ferro opus pharmaci perficiẽte: mori enim uiolenter cõtigit. Habet & has uirtutes theriaca, & cum hoc aduersus feras. In infantibus autem omnino cauere oportet ab hoc pharmaco: maior est enim eorũ uirtute magnitudo pharmaci, & dissoluit corpus, & innatum spiritum extinguit. Ego autem uidi dissolui aliquando infantem ab intemporaneo usu huius antidoti: ille enim febriebat quidem chronicẽ, & multũ erat tenue corpus eius, & uirtus erat debilis, & uix præ multa diligẽtia uiuere potens: quẽ ego quidem cõsiderans ex medicatiua consideratione, ualde prohibebã ipsum pharmacum dari. Quidã autem curans de eo, & quasi pater eius esse dicens, & tyrannicam autoritatem habens, & magis illi, quàm ei quod ex ratione consilio sciens obedire irrationabiliter, & cum multa coactione coëgit me de pharmaco dare infanti: id autem assumptum quidem digeri non potuit: maius enim erat robore accipientis: dissoluit autem totum habitum ipsius, & uentrem fluere fecit: & sic propter irrationabilem pharmaci usum miserabiliter perijt infans. Quinetiã si in calida terra conuersaberis, caue uti hoc pharmaco, & sufficiat tibi ea quæ ibi est caliditas. Quocirca neque à primo ortu Iulij hominibus calidissimis existentibus, & multum habentibus eam quæ intus caliditatem, non uidetur conueniens hoc pharmacũ. Cum enim fuerit æstas, cõsulo omnino non sumere de ipso pharmaco: calida enim existente cõstitutione, ab ipsa theriaca calidior facta lædit corpus. Quocirca & illis qui sunt in adolescenti ætate, & multam habentibus naturalem caliditatem, nõ in multa quantitate, neque multotiens offerre hoc pharmacum consulo, sicut illis qui iam sunt in declinatione uitæ, plurimum & non raro cum uino consulo assumere, ut quod iam marasmatur corporis, & extinguitur innati calidi, reuiuiscere & reaccendi possit.

Quartum.

CAMPEGIVS.

Theriaca aduersus uenena inuenta est. Magno errore hanc uulgus medicorum

tyriacam

A tyriacam uocant, & à tyro serpente appellatum dicũt. Nullus est serpens qui tyrus appellet: nec tyriaca à tyro, sed theriaca à feris siue belluis apud Græcos uocitata est, quod hęc cõpositio aduersus omnes belluas uenenatas instituta sit. Admiscentur ei uiperinæ carnes: quippe ex uipera pastilli fiunt, qui & ipsi theriaci appellantur. Tyrus, quatenus loquimur de animali, nec gręca nec latina dictio est, uerũ generali uocabulo fera nominatur. Feræ enim nominanť & bestiæ, quo nomine, ut inquit Suidas, ea maxime significantur, quæ morsu nocent, ut sunt uiperæ, serpentes, & phalangia: sic enim uocant araneos quosdam, quorum morsus est asperrimus. Galenus propẽ peculiariter ea appellatione uiperas uidetur accipere, unde & theriaca nuncupata: sic enim scribendũ & pronũciandum est, theres non tyri legendum. Antonius Musa Augusti Cæsaris medicus cum incidisset in insanabilia hulcera, uiperas edendas dabat, miraq; celeritate persanabat.

De uitulo, equo, porco & catulo. HISTORIA XIIII



APVD Galenum libro primo De utilitate particularũ, capite tertio, sic scriptum reperitur: Ego denique uitulum uidi multum cornuantem antequam producerentur cornua: & pullum equi calcitrantem, mollibus adhuc existentibus soleis: & quendam porcum ualde paruum se tueri genis conantem, priuatis magnis dentibus: & catulum nouiter genitũ mordere attectantem, mollibus adhuc dentibus: sensum enim habet omne animal, doctũ earum quę in eius anima potentiarum, & excellentiarũ quæ in particulis, ut quando conatur paruus porcellus mordere minimis dentibus, eos obtusos habẽs ad pugnã, sed eis quos quodammodo non habet affectans uti. Qualiter igitur possibile est dicere B animalia à particulis doceri utilitates earũ, ex quo & antequam illas habeant, uidentur cognoscere? Si igitur uis accipere tria oua, unum quidẽ aquilæ, aliud uero merginis, & reliquũ serpentis, & calefaciendo moderate decorticare: animaliũ quæ generabuntur, alia quidem aliò conantia, uolare uidebis anteq; possint uolare: aliud autem reuolui & conari serpere, quamuis molle & impotens fuerit. Et si perfecta facies ea in una & eadem domo, deinde ad locum discoopertũ ducens dimiseris, aquila quidem uolabit ad sublime, mergo autẽ in paludem aliquam uolabit, serpens autem cauernam subingredietur in terra: deinde illa quidem ut puto uenabitur nõ discens: ille natabit: serpens autem cauernã ingredietur in terra: Naturæ enim animalium indoctę sunt, ut ait Hippocrates. Et propterea mihi uidetur, quod alia quidem animalium natura magis quàm ratione artem aliquam operantur: fingunt etenim apes thesauros quosdam, & labyrinthos faciunt formicæ: Nectunt autem & texũt araneæ, & ut coniecturo, omnia indocte. Homo autem sicut corpore nudus est armis, ita & anima artibus carens: & propterea pro corporis nuditate manus assumpsit, pro ea uero quæ secundum animã in artificiositate rationem: quibus utens armat & custodit corpus omnimode, ornat autẽ animã omnibus artibus. Sicut enim si innata haberet aliqua arma, sola illa adessent ei semper: Ita & si aliquã haberet artem natura, reliquas nõ utiq; haberet. Quia uero melius erat omĩbus quidẽ armis, omnibus autem artibus uti, propterea ei innatũ nullum datum est. Bene igitur Aristoteles, uelut organum ante organa dixit esse manum. Bene autem & aliquis nostrum illum imitatus, quasi artem ante artes dicet esse rationem. Sicut igitur omniũ manus exiliũ existens eorum quæ secundum partem organorũ, tamen quia omnia bene apta nata est recipere, prę omnibus est organum: ita & ratio nulla existens earum quæ secundum partem artium, sed omnes in seipsa suscipere apta nata, ars utique erit prę artibus. Homo igitur solus, animal solũ ex animalibus omnibus artem habens ante artes, secundum rationem in corpore organũ ante organa acquisiuit.

C

CAMPEGIVS.

Homo nõ propter manus prudentissimus est, sed quia prudentissimus omnium animalium est, ideo manus obtinet: qui enim prudentissimus est, recte plurimis uti instrumentis potest. Manus autem esse uidetur nõ unum instrumentũ, sed multa. Est enim, infit Aristoteles, instrumentum ante instrumenta. Natura igitur ei qui artes plurimas recipere potest, manũ addidit, quæ ad plura instrumẽta utilis est. Quapropter, inquit Lactantius: Hominem, quoniã æternũ animal atq; immortale fingebat, non forinsecus ut cętera, sed interius armauit: nec munimentũ eius in corpore, sed in animo posuit. Nam, ut Quintilianus scribit, sicut aues ad uolatũ, equi ad cursum, ad sæuitiã ferę gignũtur, sic hominis est propria agitatio mentis atq; solertia. Hebetes uero atq; indociles nõ magis secũdum naturam, quàm prodigiosa corpora & insignia monstris æduntur. Et quãuis alius alium præstet ingenio, nemo tamen reperit̃, qui nihil sit studio consecutus. Quemadmodũ cæca est sine disciplina natura, sic sine natura macerata est disciplina. In utraq; parum momenti fuerit si subtraxeris exercitiũ. Sed hisce tribus absolutio cõparatur. Ea ratione dicebat Plato: Quod si animus non esset immortalis, nullũ animal esset infelicius homine. Quapropter inquit Mercurius Trismegistus: Si animam tuam in corpus demerseris, ipsamq; abieceris, iisq; te uerbis in cœnum prostraueris, neq; scio quicquam, neq; scire etiam ualeo: uastum horreo maris fundũ, in cœlum uolare nequeo, nõ noui quid nunc sim, non noui quid sim futurus in posterum. Quid tibi cum deo? Neq; enim potes cum sis malus corporisq; fœtidi seruus, ipsum pulchrum bonumq; percipere. Extrema uero prauitas nõ cognoscere deum: at uero confidere atq; sperare se bonũ aliquando reperire posse, uia quædam diuina est, ad bonũ recto tramite ducens, facilisq; & peruia: passim procedenti tibi semper occurret, ambulanti, nauigãti, die nocteq; loquenti, pariter atq; tacenti: Nihil est enim in rerum natura, quod non aliquam præse ferat diuinitatis imaginem. Et in dialogo Mercurij ad Tatium infit: Omne uiuens per mentem permanet immortale: maxime uero omniũ immortalis est homo, qui deum capit, qui diuinæ conformatur essentiæ. Huic enim soli ex omni uiuentiũ genere deus ipse cõgreditur, nocte quidem per somnia, die crebrius per portenta, per quæ omnia sibi futura pręnunciat, per aues, per intestina, per spiritũ, perq; Sibyllã: propter quę uere dicit̃ homo scire quæ sunt, quæ fuerũt, quæ mox uẽtura trahant̃.

Dialogo undecimo.

D

De uulneratione cerebri. HISTORIA XXV

Cap. 10



Res certe mirabilis inuenitur apud Galenũ in octauo De utilitate particularum, cum inquit: Et nos quandoq; inopinabilem illam narremus inspectionẽ, quam in Ionia in Smyrna factã uidimus: scilicet adolescentem uulneratum in altero uentriculorum anteriorũ, demum sanatum ut putabatur uoluntate dei.

CAMPEGIVS.

Et profectò uoluntate dei factum fuisse Galenus sapienter multum, & pensiculate dicit. Nam ut id fieri posse non omnino negauerim, sic certe nõ facile factu esse crediderim. Nõ deest tamen nostræ tempestatis chirurgus multa quidẽ experiẽtia peritus, & nobis perquã familiaris, nomine Hippolytus Dantreppus, qui nuper super mensam meã apud Nanceiũ Lotharingię primariũ opidũ simile quiddã sibi contigisse, affirmare cõstanter defendereq; nõ dubitabat, reclamãte tamẽ Vaxino Riss cho Insubre clarissimi Lotharingię ducis chirurgo præcipuo, q̃d Hippocrati adhæreret: cuius uerba sunt ex sexta aphorismorũ particula: Si uesica præciditur, aut cerebrũ, aut cor, aut præcordia, aut aliquod ex tenuioribus intestinis, aut uenter, aut iecur, letale est. Nec facile audiebat illũ, cum substantialis particulæ cerebri quantũ

Hippolytus Dantreppus

cocleari

A cocleari excipi potuisset, in terram decidisse asseueraret: hominemq; à se sanatum cõtenderet. Cuius rei locupletissimos testes, utpote oculatos, nec auritos in mediũ proferebat. Vtcunq; res se habeat, multis disputationibus confutare conati sumus, ego & Ioannes Galfredus eiusdem ducis medicus. Itaque adhuc de ea re certamus, atque sub iudice, ut Flaccus ait, lis est. Non ignoramus Theodericum Chirurgicæ nequaquam ignarum scripsisse, sanari quendam ab se uisum, ex cuius cerebro cellulæ pars egrediebatur. Huic tamẽ fidem integram Vaxinus neutiquam habebat, quoniam eius uerba euangelica ueritate subnixa non omnino putabat. Quid de ea re antea libro primo, historia decimaquinta scripserimus, memoriam nostrã non fugit: nobis tamẽ ista placent. Consiliator tamen differentia centesima octogesima prima, Galeno assentire uidetur: cuius uerba subscribo, ne lector amãtissime ea fortasse desideres, aut tempus in eis quærẽdis insumas. Sciendum, inquit, est quod solutio cõtinuitatis siue imparis omnibus aduenit membris etiam sanabilis, nisi cordi: Illud enim solutionem nõ tolerat continui. octogesimaseptima differentia: Aut nisi ad intimã partis intrinsecæ peruenerit, ut ad uentriculos cerebri, uel profunditatẽ hepatis. aphorismorũ sexta part. Ad hãc enim immoderatus sanguinis prosequitur exitus. Galenus uero ibidem: Incisionẽ, inquit, cerebri uidi sæpe sanari: semel enim uidi in Nubia ciuitate Samarię quendam magnũ & concauũ in cerebro uulnus accepisse, & tamen mortem euasisse: quod contingit rarissime. Hæc ille. In noua quoque traductione sic habetur: At uero cerebrum excisum sæpenumero reddi uitę & sanitati peruidimus. Et item semel in urbe Smyrna terræ Ioniæ cum adhuc uita frueretur, & superesset magister Pelops, uulnere quidem insigni. Verum id perquam raro uisitur: attamen uerum est, ut grandiora uulnera uocata Hippocrati pręcisiones, inferãt abolitionem. Quæ inquam ad aliquẽ ex uentriculis

B aguntur consensu omniũ internecant.

LIBRI QVARTI ET VLTIMI COMMENTARIORVM IN HISTORIALES GALENI CAMPOS, FINIS.

A

CLYSTERIORVM

CAMPI SECVNDVM GALENI MENTEM, AC GRAECORVM MEDICORVM DOCTRINAM, QVIBVS QVICquid in libris ipsorum reconditum, quod ad clysteriorum utilitatem, ad medicinæ artis necessitatem conferre quoquo modo possit, contra Arabum traditionem, in communem medicorum utilitatem summa cum diligentia congestum est: A domino SYMPHORIANO CAMPEGIO Equiti aurato compositi. Præfatio.



OCTRINAM quam Galenus Pergamenus medicorũ doctissimus De clysteribus per omnes ipsius libros, & maxime in lib. quẽ De clysteribus cõposuit, doctissime asseruit, literisq; mãdauit, quibusdã Arabibus ac barbaris uisum est, aut non intelligendo, aut intelligi eum nolendo, reprehendere: & hoc quasi compendium cognitionis, his, qui iudicio eorum ducebãtur, afferre, ut quæ in libro De clysteribus Galeni damnabilia reperisse falsò iactabant, breuium capitulorũ indiculis publicarent, talisq; cõmento & detestationem eius, quem impeterẽt, obtinerent, & ab his quæ infamassent, curam exterriti lectoris auerterent. Ne ergo hanc persuasionẽ temere quis recipiat, & talem putet sensum scriptis probi inesse doctoris, qualem eum, qui frustra calumniantur, ostentãt: singulis capitulis quædã
B rationis titulo prænotarũ, breui & absoluta professione respondebo, in nullo recedens à tramite earum rationum, quæ in Galeni disputationibus continentur.

De inuentione & origine Clysteriorum. CAPVT PRIMVM.



LYSTER, eris, penultima producta, quod & clysteriũ dicit, ἀπὸ τοῦ κλύζειν, quod est abluere apud Græcos: Nam clystere aluum ægrotantiũ lauare seu purgare solemus. Plinius cucurbita infusa clysteribus intestinorum omniũ uitijs medetur. Macer tamẽ huius nominis penul. corripit: Natural. hist. lib. 8

Appositus digitis aut intus clystere fusis.

Vsum uero clysteriorum auis in Aegypto monstrauit, quæ uocatur Ibis, ciconiæ ferè similis, & ipsa quoq; serpentum pernicies. Hæc rostri aduncitate per eam partem se perluit, qua reddi ciborũ onera cõsueuere: Hinc clysterem facere primum didicerunt, ut scribit Galenus capite primo sui Introductorij medicorum.

Quod Arabibus ac barbaris nimium tribuant nouitij medici. CAP. II



AXIME uellem, ac summopere optarem, ut cum cæteri Christiani homines, tum uero qui medici uocãtur, non ita multum tribuerent Arabibus ac barbaris, nec tantum in eis operæ consumerent, & propè pares ac fratres, ne dicam maiores Galeno aut Hippocrate facerent. Male enim sentire mihi uidentur de Pæonia ac medica doctrina, quam putant barbarorũ præsidio indigere. Quod minime illi fecerunt, quorũ iam multis seculis opera extant, uti fuere Paulus Aegineta, Alexander Aphrodiseus, Oribasius, & apud Latinos Cornelius Celsus: Apud uero recentes scriptores ac iuniores latinos ac nobiles medicos ac æuo nostro scribentes, Alexander Benedictus nostri amãtissimus, Ioannes Linacrus Britannorũ regis archiatrus, Ruellius Gallus, Nicolaus Leonicenus, Gulielmus Copus Basiliẽsis Delphini primarius medicus, Galeni ac Hippocratis Coi imitatores, & ueræ in medica arte columnæ. Ac quidẽ si probè animaduertamus, quic

C quid nostris tẽporibus apud Patauinos, Papienses, Montisq; Pedenses, quos uulgò Pessulanos uocamus, hæresum in arte medica fuit, quas nõ parum multas fuisse accepimus, id omne ferè ex Arabum ac Iudæorum dogmatum fontibus nascebatur, ut non modò non prodessent Arabum traditiones ac quæstiones Hebræorum sacratissimæ medcinæ, sed etiam uehemẽter obessent. At isti de quibus loquor, prout fuere Gentilis, Hugo Senẽsis, Iacobus Forliuiensis, Sermoneta Diuus, ac Thomas de Garbo, Herculanus, ac similis farinæ homines, natam esse fucatricẽ medicinam ac quæstionariam ad extirpandas Empiricorũ hæreses iactant: quarum potius seminarium est: nec intelligunt se imperitiæ accusare pijssimam antiquitatem, quæ in expugnãdis empiricis ac methodicis, sophistarũ arma nõ habuit, & sępe cõtra Thessalum methodicorum principem, ac antiquum empiricum Serapionem depugnauit Galenus acerrime, & tanquam Tarquinium in exiliũ eiecit, neq; redire passus est. Itáne imperiti fuerunt empirici ac methodici & inermes? Odiosum puto & execrabilem medicum, qui ægrotum prolatis iam usu medicamentis curare non uult, sed nouis & experimento nõ cognitis. Et nautam qui mauult insuetũ iter tenere, quàm id per quod cæteri salua naui ac mercibus nauigarunt. Itaq; eo insolentiæ processerunt Arabũ scripta legendo nostri medici, ut ad omne (ut uulgò dicitur) quare, clysteria suis in receptis ordinent, & putant neminem à dolore capitis uel stomachi curari posse, nisi per clysteria iuuent, dicentes principem eorũ Arabem asseruisse, clystere nobile esse medicamentũ. O tempora, ô mores, dicentes nobile medicamentum, quod per turpissima ac fœtidissima loca suas operationes exercet ac perficit. Quapropter dicitur in euangelio: Væ qui dicitis bonum esse malum, & malum bonum, & lumen esse tenebras, & tenebras lucem, & nigrum esse candidum. Simili-

Expertis medicaminibus utendum.

D ter uæ qui dicit turpe medicamentum esse nobile, cum nobilitas non dicat necessitatem, nec necessitas nobilitatem inferat. Cerebrum apud Galenum nobilius est corde, quia in eo exercentur nobiliores operationes uidelicet intellectuales, & in nobiliori loco à deo positum sit. Cor uero magis est necessarium, quia primum uiuens, & ultimum moriens. O sermo improprius, sermo barbarus, clystere nobile instrumentum, nobile à fecibus, nobile à uentositatibus putridisq; humoribus. Sed non mireris, si barbarus sermone, barbarus re & moribus esse uoluerit. Apud senatum olim Romanum nõ licebat nec ciui, nec hospiti loqui lingua peregrina, sed tantum modo illius urbis uernacula: At uos christianę religionis medici barbarum ac Mahometissæ uanitatis sermonem, magis quàm christianum & audire & proferre delectamini. Sed aduersus alios dicendi multis in locis dabitur tempus. In præsentiarum uero ostendere uolumus, clysteria nulla alia causa inuẽta fuisse, nisi ad ægritudines inferiorum membrorũ, puta alui, renum, matricis, hepatis, uesicæ, & similium, non uero stomachi, aut capitis, alijs ue membris ab aluo distantibus. Hanc autem materiam quamdiligentissime potero, discutere & resoluere conabor, ut de ea non frustra post omnes ego scriptores uidear disseruisse: aliquid enim de nostro ac præter cæteros afferemus. Ad quod faciendum, cum mea sponte animatus essem, tamen currrentem, ut aiunt, incitauit disputatio mihi nuper habita apud Lugdunũ, in cura cuiusdã Lucensis Itali, cum Ioanne Gulielmo Auinionensi Montispesuli doctore, homine in doctrina Arabum perliterato, ac ut moris est apud suos bene acuto, cuius disputationis uerba de clystere exhibendo in uulnere colli circa dorsalem medullam erant: affirmare enim constanterq; defendere non dubitabat, melius pharmacari ac euacuari materia uulneris per clysterium & regiones infernas, quàm per superius: reclamantibus tamen Gabriele Syluio Montispesuli pariter doctore, ac Agrippa Germano uiro multiscio. Sed ad propositum. Ioannes Gulielmus igitur ad patientem nostrũ cum uenisset, & cum nos tres nec occupatos sanè offendisset,

sed

A ſed cum chirurgis duobus in Chironia arte ualde peritis ſedẽtes in exedra, quodam quaſi proœmio proloquutus ad rem atq; ad tempus accommodato, ita deinde ſuo uulgato ac barbaro ſermone ſubſequutus eſt: Domini mei, iſte noſter patiẽs euacuatione indiget, oportet illum purgare cum enemate: quia nobile eſt medicamẽtum, ut uult princeps Auicenna. Ad hæc reſpondi: Perdifficilis mihi, & in primis ardua quæſtio uidetur, non ſolum apud Græcos, uerumetiam apud barbaros Arabes, an ſtomachus attrahere poſſit medicinam in aluo ac inteſtinis exiſtentem: an uero uirtus medicinæ quæ in aluo exiſtit, trahere poſſit à capite, collo, nucha, uel ſtomacho, abſq; uiolentia & pernicie. Hæc enim quæſtio perdifficilis quidẽ & ardua, & haud ſcio an tibi cognita. Sed non eſt cauſa cur cõturberis propterea, ac confunderis cum tuo nobili clyſtere, ac cum tuo Aboali: Iuſta tamen indignatio eſt, ſi id tu non aſſequaris, qui totus Auicenniſta, & in Arabum doctrina cõſenueris ac caneſcas, quod uides aſſequutum eſſe tuum ſapientem Abimeron Auenzoar. Atqui multa ſunt apud Galenum, Paulum Aeginetam, Alexandrum, quæ non ſunt apud Arabes ueſtros. Hanc tamẽ de clyſteribus opinionẽ tuus Arabs Auenzoar à Galeno edoctus non ignorauit.

Abimeron Auenzoar de clyſteribus opinio. CAP. III

AVENZOAR inter Arabes uir in medica arte, Auerroẽ autore, eruditiſſimus, & in morali philoſophia nobiliter doctus, in lege Mahometica ac nefandæ ſectæ aſſertione neruoſus, ingenio ſubtilis, eloquio more Arabũ barbarus, uita & conuerſatione apud Arabes ſanctiſſimus apparuit, adeò ut cognomẽto apud illos ſapiens appellaretũ: ſcripſit de
B ſua uena, etſi barbaro ſermone, multa in medicinis præclara opuſcula: de quibus tantum reperi opus unum quod prænotare uoluit Theſir, opus ſanè non elegans, ſed ſententijs refertiſſimũ, & ab Auerroẽ ſuper omnia medicinæ opera laudatum. Quare operæprecium uidetur ipſius Auenzoar uerba ſubſcribere, quæ libro primo ſui Theſir, tractatu decimo, capite decimooctauo ac ultimo legũtur: nec tamen abſque autoritate Galeni medicorũ principis: cuius capitis hæc inquam uerba ſunt: Et iam quidam reperiuntur medici, qui nituntur probare alimentum nullo modo poſſe per clyſterem recipi in inteſtinis, ut ad uentriculũ deuenire poſſit: & hæc probant per dicta Galeni, dicentis clyſterem infuſum per inferna non poſſe ullo modo ad ſtomachum pertingere: & hoc pacto argumentando aſſerũt nutricationem exhibitam per inferiora: nunquam ad ſtomachum poſſe percurrere: Verumenimuero iſti nimis quàm falluntur, comparãdo medicamenta per clyſterem iniecta alimento infuſo eodem modo: quandoquidem in confeſſo eſt, uiolentiam & impulſionem clyſteris non eſſe tantam, neque tam uehementem, quæ ualeat pharmaca per inferna loca infuſa, ad uentriculum ſeu ſtomachum delegare, eaq; gratia quod uirtus attractrix inteſtinorum uentriculiq;, ipſa medicamina faſtidit & abominatur: & ſic non attrahunt, imò potius expellunt ac reijciunt. At ubi corpori nutrimentum ſit amicum ac neceſſariũ, eoq; indigeat, & inteſtina fecibus & excrementis diligenter ſint expurgata, hac ratione eoq; pacto cibus iniectus, attractiua facultate in ipſis fortiter uigente, ab inteſtino ad inteſtinum ad ſtomachum uſque attrahitur. Itidem neque in clyſteris medicaminibus uirtutem ullam reperire eſt, qua ab infernis ad ſupernas partes conſcendere natando ualeant, quemadmodum in fulua ſiue flaua bile acutiſſima reperitur, quæ quandoque deſcendit deorſum ad ani fundum uſque, inibiq; magna pũctione ac ardore ſtimulat, ingeneratq; deijciendi cupiditatẽ. Nam quemadmodum inquit Galenus, uſu uenire poteſt hominem abſtinere & retinere

C excrementa ingruente necessitate, utpote in conuiuijs accumbenti, aut in hominum cœtu præclaro adstanti, quapropter bilis illa ad superna redundat, atq; ad stomachũ ascendere potest: quæ cum sit inuisa & exosa naturæ, uomitione excernit atq; eijcitur. Hactenus Auenzoar. Sed nónne indignũ est, candide lector, & ęgre nobis ferendum, quod tot ineruditissimi Arabum libri, ineptissimeq; scripti, nõ modo non inijciũtur flammis in publico positis, more maiorum, sed & multos amatores laudatoresq; habent, ut magnis eos autoribus, non dico comparare, sed præferre nõ erubescant. Quare non possum me continere, quin male precer illis qui in culpa sunt. Dij itaq; uobis male faciant Patauini, Salernitani, Ticinenses, Montisq; Pedenses, neoterici iniustissimi, qui regum uestrorum potentia in hominum perniciem Arabes, Persas, Iudæosq; in ciuitatibus ac gymnasijs uestris introire permisistis: Videte itaq; quid feceritis: certe male inconsiderateq; uos fecisse arbitror, nisi forte gaudetis quod nostro malo in locũ Hippocratis, Galeni, Pauli Aeginetę, Alexandri Aphrodisei, Oribasij, Prisciani, Plinij, Cornelij Celsi, Sereni Sammoniaci, Macri, aliorũq; ut leniter loquar cygnorum, quos uestra Arabum lingua ac disciplina sęuissime interemit, successerunt anseres, Aboali princeps uester Hyspalus, Auerrous impius autor, Rasis Pœnus, uterq; Hali, Auenzoar, Alsaharanius cęteriq; Mahometicę hęresis homines, qui non Romana lingua loquũtur, sed barbara, non urbanam quandam morũ ciuilitatem, sed agrestem rusticanamq; immanitatem præ se ferunt: denique non olores, sed anseres, prout sunt Forliuiensis uterq; de Garbo, Hugo Senensis, Sarmoneta, similisq; farinę homines pepererũt, nõ qui Palatiũ Capitoliumq;, ut antiquitus fiebat, à nocturnis furibus custodirent, sed qui in uijs ac plateis ad uniuscuiusq; prætereuntis aspectum obstrepant ac uociferentur, & totas ciuitates atque uillas per sophismata ac titillantes argutias inquietent, existimantes se (ô nefas) uo-

D cemq; cantumq; habere cygnorũ. Quàm acerbum quæso est, nobis præsertim qui cygneam, id est Galeni uocem nõ ignoramus, his passim raucorum anserum, id est Arabum ac Iudæorum clamoribus obsurdescere. Cæterum si causa priuata magis quàm publica uis me excitarit, accipe cur etiam mea causa debeam commoueri. Hesterno die quidam in doctrina Arabum magnus (si quid magnũ potest esse in barbara doctrina) audebat mihi Auicennã Galeno in doctrina anteponere, tum multa alia inconsiderate dicens, tum illud affirmans, nullibi Auicennã in suis libris medicinalibus errauisse. Ego qui nossem hominem nõ paruæ alioquin existimationis & autoritatis, quasi collo percussus, incensus sum: sed me repressi, iramq; cohibui, ut alio tempore uehementius ulciscerer, & quale non putarem uulnus infligerem, & ridens inquam: Ostende quæso illam quam nominasti in Auicenna reconditam doctrinam, quam Galenus ignorauit, ut adorabilem doctrinam possim perdiscere, aut quid sentiam respondere. Ille autem stupore territus obmutuit siluitq;. Ego uero remanens, pene mutaui propositũ. Sed ne te multis morer, ad materiã clysteriorum ueniam. Galenus inter medicos autor præcipuus, affirmat clysterem infusum per inferna, non posse ullo modo ad stomachum pertingere. Et hoc uidetur ueritatem habere: nam ipse Galenus nono Myamir, capite sexto De cura dysenteriæ, facit clysteria ex arsenico & calce & rebus alijs perdentibus & uenenosis: quæ si uirtus stomachi illa pharmaca traheret ad se, periret patiens: Igitur calor naturalis & uiuificus non eo modo operatur in aluo ac intestinis, quemadmodũ in stomacho, qui culina est coporis totius, nõ intestina. Et si in contrariũ dicatur, dantur clysteria in attonitis apopleticis. Respondeo, quod nõ dantur ut à capite trahant materiam, & purgent regulari & ordinata cura, sed ut moueant & irritent naturã nõ regulari ac dogmatica cura, sed coacta & uiolenta. Quapropter omnibus in libris Galenus pro-

Stomachus culina corporis.

hibet

A habet fortes medicinas in clysteribus: & in omnibus ægritudinibus, nisi forte in dysenteria, clysteria ordinat ex melle solo & oleo. Posteriores uero multa addiderunt.

Arabum, Pœnorum ac Pharisæorum opiniones de clysteribus. CAPVT QVARTVM.

DOCTRINAM quã Galenus Pergamenus toto orbe famatissimus medicus de clysteribus asseruit, literisq; mãdauit, quibusdã Arabibus, Pœnis ac Phariseis aut non intelligendo, aut intelligi eam nolendo, reprehendere placuit. Ne ergo hanc persuasionẽ temere quis recipiat, & talem putet sensum scriptis probi inesse doctoris, qualem eum qui frustra calumniantur, ostentant, & singulis capitulis quædã rationis titulo prænotarunt, sed breui & absoluta professione respondebo, in nullo recedens à tramite earum definitionum, quæ in docti uiri disputationibus cõtinentur. Sed quia nunc mihi cum rudibus Pœnis ac barbaris sermo est, barbare respondebo: nam, ut lepide quidem in prouerbio est, Balbi non nisi balbos intelligunt. Fuere nonnulli ex barbaris ac Pœnis, qui per quasdam propositiones de clysteribus scripserunt, quarum prima est:

Clystere licet euacuet materiam quę dolorem facit ab omnibus intestinis, tamen iuuamentum plus est circa intestina inferiora, minus autem circa superiora, medio uero modo circa media. Quapropter magis euacuant clysteria ab inferioribus, minus uero à superioribus, mediocriter à medijs intestinis. *Propositio prima de clysteribus.*

Secũda propositio: Virtus clysteris est diuersa: Nam quando à supernis euacuare uolumus intestinis, debet esse maioris quantitatis: quando uero ab infernis, in minori quantitate: quando uero à medijs, mediocris debet esse quantitas decoctionis B quæ clystere infunditur. II

Tertia propositio, quæ contra Galenum est, nõ militans, sed somnians: nam plerunq; somniat Auicenna, ubi Galenus uigilat. Iuuat in attrahendo, inquit Aboali, superfluitates à mẽbris principalibus superioribus, puta stomachi & capitis, clystere. Sed dic Auicenna, quomodo à superioribus clystere euacuat, cum dicas clysteria acuta debilitare hepar, ac febrem causare: sed ea possumus quę iure possumus, non quæ ui, & cum læsione ac uiolentia facimus. Medicus à mediocritate medicus appellatur, non à uiolentia, iuuans naturam, & non impediens illam. Si enim à supernis traherent, clysteria ex arsenico & calce in dysenteria à Galeno ordinata, non solum traherent, sed & necarent ac occiderent: & sic homicida, non medicus à mediocritate fuisset Galenus. III *Hæc est Auicennæ tertio Can. Fen 16. tract. 4. opinio.*

Quarta propositio: Clystere duobus modis à supernis locis attrahit: Vno modo per formam indiuidualem, quam specificã siue propriam aut occultam uocant Physici: & isto modo trahit clysterium ex agarico & turbit aut scammonea cõpositum. Sed hæc pars propositionis est contra Galenũ, Paulum Aeginetam, ac omnes Græcos medicinæ professores: Nam medicinæ existentes in intestinis, absq; uiolentia à membris supernis non attrahunt, sed potius à membris reijciuntur ac expelluntur. Sed ea possumus quæ iuuãdo ac iure possumus, non quæ interimendo aut nocendo facimus. Et si medicinę fortes in intestinis existentes, trahãt à capite, hoc erit, quia in magna decoctionis quantitate exhibentur, & sic à uentositatibus subleuatæ quantitas clysteris ad stomachum usq;: & sic medicina operatur reducta à calore stomachi de potentia in actum, quę si remansisset in aluo ac intestinis, nunquam reducta fuisset de potentia ad actum. Ea de re clysteria ex arsenico & calce in dysenteria debent in parua quantitate exhiberi, ne forte quantitas illa à uentositatibus ad stomachum usq; eleuari possit, ac sic reduci de potentia in actum. Quapropter clysteria in

C attonitis, lethargicis, apopleticis fortia, si uelimus ea purgare quæ sunt in capite, debent in magna quantitate decoctionis exhiberi, ut purgent à capite, nõ à uirtute intestinorum quæ parua est & latrina fecum, sed à uirtute stomachi, qui culina totius est corporis. Secundo modo attrahũt clysteria à membris, ut uolunt Arabes, per uirtutem cõmunem: & sic trahunt ea quæ sunt abstersiua, & ablutiua, remouendo superfluitates ab orificijs uenarum, quæ ad intestina terminantur. Quare, ut dicunt, humores à membris supernis istis mediantibus ad aluum perueniũt. Et eodem modo, dicunt, attrahũt medicinæ acutæ stimulando uirtutem expulsiuam, ex quo accidit uehemẽs motus, in quo fit attractio à membris supernis uersus inferiora. Sed ut iam diximus, fieri hæc non possunt absq; nocumento & uiolentia naturę ac ueneni præsentia in stomacho, quia membra superiora per uenas suas nõ attrahũt ea quæ sunt illorum destructiua, sed potius quæ iuuant, attrahũt: natura enim docta trahit quæ illi amica sunt, expellit quæ inimica, nisi ab alio fortiori impediatur.

V Quinta propositio: Clysteria sunt iuuatiua in expellẽdo reliquias superfluitatũ, quas dimiserunt medicinę solutiuæ, quia immediate ab aluo & intestinis euacuant: Ea de causa post medicinas fortes & uenenosas, sequenti die ordinamus clysteria lauatiua, ne medicaminum uirtus inimica naturæ in aluo remaneat.

VI Sexta propositio, quæ est Aboali: Clysteria quæ sunt acuta, debilitãt hepar propter eorum caliditatem, & ad febres perducũt. Sed dic tu Aboali, si debilitãt hepar, & faciunt febres clysteria acuta attrahentia humores, quare ordinas, cum medicus iuuare debeat naturã, non impedire, nec morbos introducere, sed profligere. Nam

Lex Platonis. quemadmodum uult Plato de legibus libro nono: Medici qui curantes sponte occiderint, morte plectantur.

VII D Septima propositio: Hora clysterizandi debet eligi, quãdo stomachus est uacuus & absq; cibo: nisi forsitan stomachus sit debilis multum exinatione, uel famelicus, quia tunc antequam fiat clystere, melius est parum subtilis cibi offerri. Item uirtute existente debili, nõ debent dari clysteria, sed loco eius balanum, id est glans siue suppositorium. Item debent exhiberi hora frigidioris aëris. Item non debet immediate clystere lauacro siue balneo cõtinuari, ne accidat infirmo superflua æstuatio. Etiam lauacrũ ebullire facit humores dispergendo per corpus, trahendo uersus exteriora. Et cum motus lauacri & clysteris contrarientur (quoniam ille ad externa, hic uero ad interna humores trahit) malum est præmittere clysteri balneum immediate, sed potest præmitti per horas duas aut tres ante clysterem, quia lauacrum unum est ex ijs, quæ corpus & humores præparãt ad faciliorem euacuationem. Item clystere nõ debet fieri cum præsens est sternutatio aut tussis uehemens, ut uult Aboali, ne expellatur subitò antequam operetur.

VIII Octaua propositio: Clystere est medicamen securum, non tamen nobile. Prima pars certa est, considerando loca à quibus primo euacuat. Nam ab intestinis principaliter humores ac superfluitates purgat. Secunda pars per se nota est, nec probatione indiget. Fuere enim inuenta ab Hippocrate & maioribus nostris clysteria, ut mundarent aluum & intestina à fecibus & prauis humoribus. Sunt etenim intestina membra uilia & cloaca corporis. Igitur euacuans à talibus mẽbris & lacunis, nõ potest nec debet dici medicamen nobile, sed potius securum aut efficax, faciens in suis operationibus securitatẽ. Improprius est sermo, dicẽs nobilitatẽ dici debere ab utilitate & efficacia, aut uero à securitate. Apud Platonem in libris legũ nobilitas attenditur aut ex parte generationis, aut materiæ, aut loci, aut uero ex nobilitate receptionis. Clystere uero nõ dicit̃ medicamentũ nobile ex parte generationis, ut per se notum est: Non materiæ, cum fœda sit, ac horribilis odoratu: Non loci, cum intestina sint

na sint

A na sint loca uilia & corporis cloaca siue latrina. Est igitur clystere medicamen efficax & securum. Efficax uero, in operãdo euacuationem, ut ad sensum apparet: securũ uero, considerando loca à quibus primo euacuat, quæ sunt ignobilia, nempe ab intestinis, quæ membra sunt deputata à natura, ut ad ipsa superfluitates deriuentur, & sic sunt mẽbra uilia. Illud uero q̃d euacuat à talibus membris, dicitur medicamen securum, propterea si sic medicamen efficax, securitatẽ facit: Nõ ẽm (ut Cous Hippocrates in libro De pharmacis scribit) cõuenit fortibus passionibus pharmacias purgatiuas offerre, sed si cui oportet clystere inijcere, cõgruit eo quotienscunq; uolueris uti.

Clysteriorum genera quatuor. CAP. V



QVATVOR genera sunt clysteriorum, scilicet mollificatiuum, mundificatiuum, constrictiuum, & diureticum.

Clystere emolliendi uim habens.

Mollificatiuum clystere fit cum rebus mollificantibus, ut sunt maluæ, uiolæ, branca ursina, bismalua, semen fœnograeci, semen lini. Verbi causa: Accipe maluæ, uiolarum, bismaluæ, brancæ ursinæ, singulorum manipulum unum, seminis fœnograeci, seminis lini concussatorũ singulorum pugillum unum, furfuris pugillum medium: fiat in aqua decoctio ad libram unam, in qua post colaturam dissolue mellis cocti bene despumati uncias duas, olei cõmunis uncias treis, uel loco olei butyri recentis uncias duas, salis drachman unam, fiat clystere.

Clyster expurgans.

Clystere mundificatiuum aliud est lene, aliud uero mordicatiuum. Mordicatiuũ fit cum mercuriali, malua, furfure, sale, & rebus acutis, quemadmodũ sunt salgemma, & electuaria diagridiata, ex colocynthide & turbith. Quæ apud Arabes sunt in usu communi, apud uero Græcos & pure Latinos nequaq;. Lene uero clystere fit ex malua, mercuriali, sicla, cassia fistula, succo mercuriali, succo siclę, & similibus. *Mordicatiuũ clystere.*

B

Clysteres constringendi facultate præditi.

Clysteria constrictiua fiunt hoc modo: Tere gallas, & fac bullire in aqua pluuiali sine sale, & in colatura eius dissolue succum polygoniæ, uel corrigiolæ, uel plantaginis, uel arnoglossæ. Sed antequam propines clystere constrictiuũ, prius utaris mollificatiuo clystere, deinde utere constrictiuo.

Clyster lotium proliciens.

Clystere diureticũ fit ex radicibus feniculi, lappæ, petroselini, paritariæ, senecionis, in cuius decoctione cum cassia adde benedictã uel lithontripton uel electuariũ Ducis, addito oleo & melle, cum aqua marina uel salita.

Autoritates Galeni de clysteribus ex diuersis libris ipsius Galeni, quibus ostenduntur abusus, errata, ac falsa dogmata Arabum, ac neotericorum nostrorum. CAPVT VI



PARTICVLA sexta de clysteribus apud Galenum sic scriptum reperitur: Nos clysterizamus cum oleo & aqua tantũ in febribus adurentibus accensis, ut dirumpamus calorẽ adurentem & accensum. Et eodem libro inquit: Cum repletur intestinum colon, accidũt inde accidentia mala stomacho, scilicet dolor & pũctio: quia cum colon repletur, extenditur: & accidit tunc dolor siphac, quod circũdat stomachum & intestinum, & stomachus infrigidatur, & extenditur lacertus, qui extensus est supra stomachũ & intestinum ad extentionem intestini, & tunc patitur stomachus.

Libro quinto Cõsiliorum apud Galenum ita scriptum reperitur: Eum qui pas-

C sus est morbum chronicũ, & usus est diæta neutrorũ tempore longo, cum te oporte tet clysterizare propter incarceratam egestionem, noli clysterizare acuto clysteri, sed clysteriza cum oleo tantum.

Apud Galenum libro decimo pharmacorũ sic scriptum reperimus: Cõfert multoties matricibus hulceratis clystere ex lacte, cocto cum lapidibus uel ferro. Cõfert etiam clystere taliter factum habentibus hæmorrhoidas & hulcera in ano.

Libro primo humorum, ita scribit idem Galenus: Facimus clystere cum aqua salis ei, cuius in intestinis sunt uulnera putrefacta, ut abluat quicquid est putrefactũ, & extrahat cortices nõ paucos: & cum mundificatus est locus, clysterizamus cum medicinis adaptantibus purgationem.

Sexto Epidemiarum apud Galenum ita scriptum reperimus: Cum sunt humiditates pungitiuæ in intestinis: necessarium primo est clystere cum aliquo quod eas mũdificet, sicut est aqua mellis & aqua hordei: & humiditatibus egressis necessariũ est clysterizare cum aliquo punctionem mitigante, incolante & solidante.

Libro sexto De colica, cum de morbis intestinorum loqueretur ita scripsit: Clystere factum ex duabus partibus picis liquidę, & ex tribus olei, confert uehementer colicæ passioni, stomacho existente forti: Cauendum est tamen ab omni clysteri, in quo fortia medicamenta ponũtur. Habentem stomachum debilem clysteriza cum lenientibus medicamentis.

Apud Galenum decimo Ingenij scriptum reperitur: Procura soluere uentrem eius qui patitur febrem inclusam putridã: & si non soluitur uenter eius, ipsum cum aqua, melle & oleo clysteriza.

Memoriæ dedit Galenus nono Myamir, quæ sint clysteria in alui hulceribus, in D hunc modum: Clysteria patientium hulcera intestinorum, sint composita ex rebus stipticis, mundificatiuis, digestiuis, dormitatiuis, & mitigatiuis, & incolatiuis: & apponendæ sunt aliquæ ipsarum, uel omnes, secundum ægritudinis quantitatem: Et horum clysteriorum sit materia, aqua farris, hordei, & modicum uini styptici.


De clysteribus Pauli Aeginetæ opinio. CAPVT VII



APVD Paulum Aeginetam in libro præceptorum salubrium, capite quadragesimoquarto sic scribitur: Habẽt natura uentres quidam adstrictiores, quorũ præ debilitate stomachus non sustinet medicamenta, quæ per os sumpta aluum deijciunt: ijs lauaminibus, quæ Græci nunc κλύσματα, nunc κλυστῆρες, Medicorum scola clysteres, & infusa nuncupant, succurendum censeo. Pituitam quidem quæ intestino fixius inhæret, iure caricarũ, betarum, nitri, radicis cucumeris syluestris, cũ melle & oleo uel chamæmelino, uel anethino. Quod si ariditas haud mediocris molestauerit, elixatio althæę, fœnograeci, chamęmeli, adiecto oleo & melle haud ita multo, & nonnũquam oleum per se dimidiati acetabuli quantitate, per inferna in aluum immissum, id quod desiderabatur ad amussim, ut dicitur, absoluit. Neq; tamen crebrò sine iusto temporis interuallo agendũ, ne natura ijs perpetuo usu assueta, ultroneæ deiectionis, sui muneris, obliuiscatur.

CLYSTERIORVM LIBRI FINIS.

D. SYMPHORIANI
CAMPEGII, EQVITIS AVRATI, DE PHLE-
BOTOMIA APOLOGETICA
DISCEPTATIO.



CATALOGVS AVTORVM, QVORVM TESTIMONIO PASSIM CAMPEGIVS VTITVR.

GRAECI.

Hippocrates.
Galenus.
Paulus.
Oribasius.
Archigenes.

ARABES ET POENI.

Auicenna.
Aboali.
Auerrois.
Auenzoar.
Isaac Israëlita.
Alsaharanius.
Rasis Pœnus.
Cõstantinus monachus.
Ioannes Serapionis filius.
Mesues.

LATINI.

Cornelius Celsus.

NEOTERICI ET IVNIORES.

Petrus Aponensis.
Montagnana.
Gentilis Fulginas.
Herculanus.
Platearius.
Bertrucius.
Gerardus Bututus.
Guainerius.
Gatinarius.
Gordonius.
Ioannes Falco.

A AD HVMANISSIMVM ET VNDE-
CVNQVE DOCTISSIMVM D. LVDOVICVM BVR-
GENSEM, CHRISTIANISSIMI REGIS AR-
CHIATRVM, PROOEMIALIS
EPISTOLA.



CCIPE splendidissime Ludouice hæc qualiacunq; de phlebo=
tomia doctorū annotamenta, quæ sub nomine tuo, uti tutio=
ra sint & gratiora, chalcotypis notis dispalescere inuulgariq; cu
rauimus. Et fortassis ob hæc legent, quoniā tuo nomini uene=
rabili, micantissimo, radioso, per ora cūcta diffuso, dicata sunt:
siquidē genius est operis, & perennitas æterna Archiatro Gal
lorum opus medicinale dicare: qui quodāmodo deus terrenus
est, & mortalis Apollo, qui uno tantū minor est Apolline. Cæterum clarissime uir,
cum in homine sit cōstitutio optima, quæ omnes habet particulas, quæq; ex ijs pro=
fluunt emolumēta, actus organorū peraccōmoda, corpus huiusmodi bene habitū,
εὔφορον Græci uocāt: Illud uero in corporis humani cōpage cuiusmodi nam esse cre
ditur, quod arte mirabili, ut mūdus, ita etiā homo quatuor cōstare uidet elementis,
sanguine, pituita, & utraq; bile, tam atra q̄ flaua. Nam sanguis aëri assimilat: Pitui=
ta, aquæ: Flaua bilis, igni: Terræ uero, quæ atra dicitur bilis. Siquidē horū singula ele
mentorū habent qualitates non per minutissimarū partium appositionem, sed per
transmutationē & unitatē ita cōcreta generātur corpora, ut separari nisi ab eo cuius
iussu coiere, nequeant. Gustu porrò sanguis dulcis: pituita salsa: flaua bilis amara:
atra bilis acuta. Fons sanguinis est cor. Ex sanguine spiritus: sed per cordis partem
B dextram manat sanguis: per sinistram promicat spiritus. Inter humores uero san=
guis longe præstantior censetur: siquidem est spirituū materia, quibus maxime stat
uita, & uirtutis uegetatricis operatio: atq; item animalis. Deinde quia ad uitæ princi=
pia accedit amplius, cum sit attemperati caloris, humectiq;. Præterea alit efficacius,
instauratq; quod intercidit: proinde naturæ thesaurus habetur, & (ut Plato inquit)
carnium & uniuersi corporis pabulum: quo pereunte cōfestim sequatur mors, ne=
cesse est. Idcirco dixit Moses filijs Israël, Leuit. xvij. Anima enim omnis carnis in san
guine est. Sanguinem uniuersæ carnis non comedetis, quia anima carnis in sangui=
ne est: & quicunq; comederit illum interibit. Vnde dixit filijs Israël: Omnis anima
ex uobis non comedet sanguinem, nec ex aduenis qui peregrinantur apud uos: si
uenatione atq; aucupio ceperit feram uel auem, quibus uesci licitum est, fundat san
guinem eius, & operiat illum terra. Hæc Moses. Mors enim secundū Platonem fit,
separata anima à corpore, ut scribit Galenus in libro uirtutum animalium. Propter
quod autem separat (inquit Galenus) eam sanguinis euacutio multa: Si quidē ipse,
inquit, Plato uiueret, ab ipso penitus deposcerem discere. Hæc Galenus. Cæterum
uir clarissime, pro miraculo à cūctis habet, ut in uulneris autorem, si superueniat in=
tra horas plus minus septem, prosilire pernoscitur sanguis. Quapropter qui defeca
tissimi sunt sanguinis ridibundi ferè sunt, uisu corporeq; floridi: & quandoq; colore
uenusti. Sanguis igitur uitæ thesaurus, & spiritus fomes est: quare in sanguine mit= *Sanguis uitæ thesaurus, spiritus fomes.*
tendo medicus sapiens esse debet. Inter humores enim sanguis longe præ=
stantior censetur. Accipe ergo uir clarissime de phlebotomia opus
clarum: quod si tibi placuisse cognouero, ad alia mox æden
da non inuitus accingar, quæ ad iucūdiorem gustum
tota condientur. Vale medicorū decus, & me
perinde dilige, & ut soles ama.

c

SYMPHORIANI

CAMPEGII LVGDVNENSIS, LOTHARINGORVM ARCHIATRI, DISCEPTATIO APOLOGETICA, QVA docetur, per quę loca sanguis mitti debeat in febrium inflammationibus, præsertim in pleuritide: ex traditionibus Græcorum, Arabum, Pœnorum, & neotericorũ medicorum.

De sanguine ac spiritu, Gallisq́. CAPVT PRIMVM



Sanguis. SVNT nõnulli in sanguine mittendo audaciores, quos medici sapientes admodum detestantur. Nam sanguis est flauæ bilis temperamentũ, spiritus fomes, uitæ thesaurus. Inter humores uero sanguis longe præstantior censetur: Siquidem est spirituũ materia, quibus maxime stat uita, & uirtutis uegetatricis operatio, atq; item animalis. Deinde quia ad uitæ principia accedit amplius, cum sit attẽperati caloris, humectiq́. Præterea quia alit efficacius, instauratq́ quod intercidit. Proinde naturæ thesaurus habetur, & (ut Plato inquit) carniũ & uniuersi corporis pabulum, quo pereunte confestim insequitur mors. Est autẽ spiritus substãtia subtilis, aërea, dilucida, ex tenuissima quaq; sanguinis parte producta, ut deferatur uirtus à præcipuis membris ad reliqua, quò proprias ualeant operationes exercere. Spiritus hic ad sanguinem ita se habet, ut ad ignem scintilla. Et quia sunt nõnulli, & præsertim Parrhisienses, Aurelianẽses, ac Carnutẽses, Druydæ philosophi, in sanguine mittẽdo audaciores quàm expediat Gallis: de mensura sanguinis tollendi, & maxime Gallis, ex Galeno, quem potissime sequũtur, aliquid adducamus. Ipse Galenus nos admonet, Gallos raro phlebotomare debere, libro De curandi ratione per sanguinis missionẽ, his uerbis: Proinde minus detrahimus quàm plenitudo commonet. Quod ad ætates quidem attinet, in pueris: quod ad corporis habitus, in candidis, & quibus mollis teneraq; est caro, quales sunt Galli: quod ad tempus, sub Cane. Similiter etiã in regionibus & constitutionibus. Alia uero ratione in contrarijs, hoc est in frigidis, tum temporibus, tum locis, largã euacuationem fugimus, propter insequentem nimirũ refrigerationem. Hactenus Galenus. Audi Galenum, Gallos ob mollitiem & albedinem, teneramq́ carnẽ, serò & rarius phlebotomari debere, asserentem. Est autem Gallia lactea regio, & candida. Nam præter cæteros albi sunt Galli: quapropter à Græcis propter huiusmodi colorem Galatæ dicuntur, ab eo quod est γάλα, id est lac. Neq; te moueat rudis usus Gallorum in sanguinis missione, à ratione alicuius & communi errore introductus, ne dum multitudini placere studes, multorum uitam perdas. Neq; enim satis iusta est occasio ad delinquendum, cum multis errare. Quod & Galenus morum simia, quem totis uiribus, ut medicorũ monarchã ac legislatorẽ, insectanẽ Parrhisienses nostri, ac Galli sub Cancro habitantes omnes, annotauit secũdo De arte curatiua ad Glauconem: Sanguinem incisa uena mitti nouũ non est. Sed nullum penè morbum esse, in quo non mittatur, extra Galliam ac Germaniam, nouum est.

Margin notes: Quid spiritus. — D — Galenus de Gallis. — Gallia.

Quæ ætas sit detractioni sanguinis per uenam idonea. CAPVT II



SI ætate nec puerili sint, nec senili, de secanda uena consiliũ inito: præ oculis habens principales hosce scopos, nempe plenitudinis tum quantitatem, tum qualitatem, & uirium robur atq; infirmitatem, deinde naturalem totius corporis habitũ, tempusq́ & regionem, uitamq́ anteactam, tum

A tum an cibi, potusq́; copia, & præcipue affatim nutrientiũ, qui sic affectus est, usus:
ad hæc consuetudinem, & res præter consuetudinem actas: quósque motus exer=
cuerit, quas excretiones habuerit, aut præter solitum compescuerit: ad omnia au=
tem hæc, num gracilior aut crassior euaserit. Sanè utriusq; plenitudinis quãtitas ex
propriorum signorum multitudine definietur: Quanto enim grauior sibi homo ui
detur, tantum & plenitudinem quo ad uires creuisse constat. Vbi ergo extantibus
plenitudinis signis, ualentes facultates fuerint, uenã incides uidelicet, si tensiua qui=
dem sit affectio: nullo discrimine, magisq́; etiam in phlegmone. Si infesta sit degra=
uans plenitudo, haud semper sanguinis molienda detractio est: Fieri enim potest, *Consideranda maxime uirtus*
ut crudus per corpus collectus sit succus: in quo aduertendum diligenter est, quate
nus ualeat, robustaq́; sit uirtus, & quatenus humor ipse sit frigidus. Nam exoluta
ab id genus affectibus uirtus, adhibita sanguinis missione, in extremum malum re=
cidere solet, ut nequaquam postea restitui possit: Quod ubi euenit, periculum non
leue cõsequitur: potissimum si febris accedat statu æstiuo, stomachoq́; male affecto,
aut toto adeò corpore natura molli, & tempore humido. Si uero horum nihil sit, cæ
terum hyems fuerit, regio natura frigida, tum natura quoque hominis frigidior, ijs
per sanguinis missionem & totum corpus grauiter refrigeratur, & accidũt nonnul
la, quę ad grauẽ sequunt̃ refrigerationẽ symptomata. Quocirca qui sic affecti sunt,
eos sanguinis missione uacuare non conuenit, sed frictionibus, mediocriterq́; exca=
lefacientibus unctionibus.

Quibus ægritudinibus competat sanguinis missio, ex Galeno. CAP. III

DEFINITIS itaque tribus mittendi sanguinis scopis, nempe morbi ma
gnitudine aut pręsente, aut imminente, aut incipiente: ætate florẽte: ui
B rium robore, extra puerorũ ætatem: ad alia antedicta mittendi sangui=
nis indicia, quæ non pauci adijcienda medici censuerunt, nunc acceda
mus. Porrò quid hac de re sentiam, neminem uestrum ambigere puto, ut qui sæpe
adfueritis sanguinis missionem suadenti, tum podagricis, tum arthriticis, tum mor= *Quibus ægri*
bo comitiali obnoxijs, ad hæc melancholicis, quiq́; sanguinẽ antea expuissent, aut *tudinibus com=*
in thorace structurã sortiti essent ad id malum idoneã: præterea uertiginosis, quiq́; *petat phleboto*
assidue corripi solẽt angina, peripneumonia, pleuritidibus, hepteatidibus, ophthal= *mia.*
mijs uehementibus, aut, in summa dicam, magno quopiã morbo. Nam in illiusmo
di omnibus necessarium esse remedium sanguinis minutionem arbitror confestim
adhibitam, posthabitam uirium atq; ætatis rationem. Hæc si forte aliquando nõ di=
cuntur, intelligere oportet. Cæterum in redũdantia humoris melancholici, sangui=
nem mittere præstat, aut certe omnino medicamento uti atram bilem expurgante.
Si ex compressis hęmorrhoidibus cumulatus in corpore sanguis extiterit, audacter
uenam incides, etiamsi antea grauem expertus morbum nõ fuerit. Vbi multa eua=
cuatione est opus, uerum uires sunt imbecilliores, in his euacuationem partiri expe
dit. Nam pauculo sanguine detracto, protinus melicratũ exhibeo probè coctum,
cum incidentiũ medicaminum quopiam, uelut hyssopo, origano, & interim etiam
nepeta, aut pulegio. Cæterum ubi feruescentis inest sanguinis plenitudo, acutissi=
mam accendens febrem, subitò ac simul euacuare expedit, eamq́; inanire tentandũ
uel ad animi deliquium usq;, uirium modò inspecto robore. Nam in quibus tibi san
guinis feruentis copia apparet, quamocyssime eos uacuare conator, priusq; in prin
cipalem aliquam partem ingruat. Quamobrem nec per noctem sanguinem mitte
re uerearis: Siquidem ridiculum est quod quidam factitant, à secunda diei hora ad
quintam aut sextam solummodo sanguinem mittentes, haud alio quouis tempo=
re. Quibus clysterem nõ immittis, aut cibũ nõ offers eis, quocunq; tempore secare

m

C uenam potes. Quibus amplæ sunt uenæ, quiq; modice graciles sunt, neq; candidi, neq; tenera carne præditi, copiosius euacuabis: cōtrarios autem parcius, quippe qui exiguum habeant sanguinis, carnemq; facile transpirabilem.

Qua ætate uena sit tundenda, qua uero prohibenda uenæ sectio sit, ex Galeno. CAP. IIII

PVERI carnem facile transpirabilē habent, & hac ratione uenā illorū minime tundes usq; ad decimūquartum ætatis annū. Postq; si multus congestus sanguis appareat, tēpusq; anni uernū fuerit, regioq; natura temperata, & pueri natura ualde sanguinea, sanguinē minues: multoq; magis si aut peripneumonię, aut anginę, aut pleuritidis, aut alterius acuti grauisq; morbi periculū incūbat. Itaq; & septuagenarijs (modò dicti adsint pulsus) si affectus iubeat, uenā secabis. Sunt enim quidā & in hac ætate multi sanguinis, uiresq; habent robustas. Itaq; nō numerū solūmodo annorū aduertes, quod quidam faciūt, sed corporis etiam habitū. Nam sunt qui sexagesimo ætatis anno uenæ sectionē nō ferent, cum quidā qui septuaginta nati sunt annos, perferāt. Verūtamē minus his utiq; detrahes, etiamsi eandem habere affectionē, quam florens corpus, appareāt. Proinde minus detrahimus q̄ plenitudo commonet. Quod ad ætates quidē attinet, in pueris: quod ad corporis habitus, in candidis, & quibus mollis teneraq; est caro, quales Galli sunt: quod ad tēpus, sub Cane. Quocūq; enim die mittēdi sanguinis scopos in laborante inueneris, in eo auxiliū adhibeto, etiā si uigesimus is ab initio extiterit. At quinā fuerint hi scopi? morbus ingens, roburq; uiriū, excepta puerili ętate, & aëre nos ambiente ualde calido. Porrò aūt quoniā exoluit tēporis tractu in plerisq; morbis uirtus, idcirco & mittēdi sanguinis occasio, dierū numero deperdit, nō tanq; primario id dies efficiant, ac nō re aliqua intercedēte, nempe uiriū dissolutione. Itaq; si
D quādo uel secūdo à principio die uires exolui uideant̄, à uena secāda abstinebimus.

Quæ phlebotomantibus sint cōsideranda, ex Oribasio. CAP. V

Oribasius Sardianus.



ORIBASIVS Archiatrus Iuliani Cæsaris, in Cōpendio medicinę ad Eustathium filiū de phlebotomia ita scribit: Contemplari oportet in phlebotomia, tēpus & ætatem & uirtutem: ut ex his phlebotomus adhiberi possit omnibus pro ratione plenitudinis: quādo hęc in aliquibus apparet, in ijs qui cōsueti sunt phlebotomo uti, uel ijs qui nō sunt usi phlebotomia, cū nulla fuerit spes in magna passione. Sciendū aūt est uniuersaliter de phlebotomia, in omnibus magnis passionibus necessariā esse phlebotomiā: & proinde confestim adhibemus. Qui aūt nihil tale patiunt̄, & totas membrorū partes inculpabiles habent, duobus modis euacuationibus componuntur. Si enim in diæta obseruanda incontinentes sunt, phlebotomo curent̄. Quod si diætam obseruare possunt, salutare absq; phlebotomo cōsequuntur remedium, id est per fricationem multam, & balnearum frequentes usus, & exercitationes, & uectationes, & deambulationes: Adhuc etiā & unctiones diaphoreticas, eas quę uelociter plenitudinē corporis euacuare possunt. Si hæc utiq; displiceant, & aliqua sanguinis plenitudo esse perspiciatur, ut sit melancholici sanguinis plenitudo, tūc omnino necesse est uti phlebotomo. Sin uero spissus in eo sanguis dominatur ex melancholia, continuò phlebotomandus est. Magnitudo ægritudinis, & fortitudo uirtutis, plena est contemplatio phlebotomiæ, in quibus phlebotomari opus habent, nō aliqua urgente, aut prohibente causa. Optimum est matutino tempore phlebotomū adhiberi, ut post somnum una hora uigilans sit uel duabus aut plus.

Quales uenæ in singulis passionibus sint incidendæ ex Oribasio Sardiano. CAP. VI

A ANTISPASIS fit quando ex ipsa parte quæ infirmatur, proxima patienti *Antispasis quã do fit.*
loco incidit̃ uena. Splenem patienti de sinistra manu secus digitũ minor
incidenda est uena, aut de sinistro brachio, quæ est cubito proxima. Pleu=
riticis autem ex ipsa parte quę dolet, sanguis est auferendus. Ad oculorũ
uero dolores iuuat magnifice, si ex ipsa parte quæ plus dolet, de brachio capitalis
incidatur uena. Tres enim uenæ sunt in brachio, quæ phlebotomantur necessariò, *Tres uenæ in brachio.*
una quæ est proxima cubito, quæ anterior uocat̃: altera est media, quę matricalis di
citur: tertia est superior, quę uocatur capitalis: Nam anterior phlebotomatur, quan
docũq; sub ceruicibus surgũt passiones: Inferior ergo, quæ est quam Græci Eudon
uocant, hæc quæ in inferioribus partibus membra sunt posita: In collo si læsa sunt
loca, phlebotomus adhibetur. Capitalis autẽ phlebotomat̃, si circa caput aut faciem *Capitalis.*
passio generetur: Media uero utrisq; partibus expediens est. Sub media igitur uena *Media.*
neru⁹ subiacet cõiunctus: Sub interiore uena arteria subiacet cõiuncta: & ideo cau
te phlebotomandę sunt. Capitalis uero uena omnino sine ullo periculo inciditur, si
semel fuerit percussa: sed cum bis aut ter incidat̃, contingit ut dolores in ea incisione
cõsurgant, & sint multo tempore. Hoc enim patiẽtibus ideo fit, quia uix semel per=
cussa incidit̃, sed bis aut tertiò percussa dolorẽ facit: semel aũt percussa, neq; inflam=
mationẽ, neq; dolorẽ facit, propter quod oportet eam sine timore incidere, cũ mul=
ta cautela. Secundũ autem hunc modũ, quæ inferiores sunt uenę, in talis uel plantis
tangũtur, in passionibus quæ circa femora, aut uesicã, uel matricem fiunt, uel in re=
nibus. Oportet aũt incipiente inflammatione antispasim facere. In diuturna autem *Antispasis.*
inflãmatione, ex ipsis quæ patiũtur locis est tollẽdus de proximo sanguis. In quibus
aũt corporibus nihil patitur membrum, auferendus est sanguis primo Vere intran *Mediam uenã*
te. Omnibus uena æqualiter media est incidenda: & hoc omnibus utilissimum est. *aperire utile.*

B De sanguinis detractione, ex traditione Aurelij Cornelij Celsi. CAP. VII

ANTIQVI primã ultimamq; ætatem sustinere nõ posse, hoc auxilij ge
nus indicabãt, persuaserantq; sibi mulierem grauidam, quæ ita curata
esset, abortũ esse facturã. Postea uero usus ostẽdit nihil ex his esse per=
petuũ, aliasq; potiores obseruationes adhibendas esse, ad quas dirigi
curantis consiliũ debeat. Interest enim nõ quę ætas sit, neq; quid in cor *Vires magis q̃*
pore intus gerat̃, sed quæ uires sint. Ergo si iuuenis imbecillus est, aut si mulier quæ *quicquid aliud*
grauida nõ est, parũ ualet, male sanguis emittit̃. At firmus puer, & robustus senex, *spectandæ.*
& grauida mulier ualens, tutò curãtur. Maxime tamẽ in his medicus imperitus falli
potest, quia ferè minus roboris illis ætatibus subest. Mulieriq; prægnanti post cura=
tionem quoq; uiribus opus est nõ tantũ ad se, sed etiam ad partũ sustinendũ. Inter=
est enim inter ualens corpus & obesum, inter tenue et infirmum. Tenuioribus ma
gis sanguis, plenioribus magis caro abũdat: Facilius itaq; illi detractionẽ eiusmodi su
stinent, celeriusq; ea si nimiũ est pinguis, affligit̃. Ideoq; uis corporis melius ex uenis
q; ex ipsa specie æstimat̃. Vehemens febris ubi rubet corpus, plenæq; uenæ tumẽt,
sanguinis detractionẽ requirit. Si uehemens febris urget, in ipso impetu eius sangui
nem mittere, hominẽ iugulare est. Expectanda ergo remissio est, si nõ decrescit, sed
crescere desijt, neq; sperat̃ remissio: tunc quoq; quãuis peior, sola tamen occasio nõ
obmittenda est. Mittere autẽ sanguinem cum sit expeditissimũ, usum habenti, tum
ignaro difficilimũ est: Iuncta enim est uena arterijs, his nerui. Ita si neruũ scalpellus
attigit, sequitur neruorũ distentio, ea quæ hominẽ crudeliter cõsumit. At arteria in=
cisa neq; coit, neq; sanescit: interdũ etiam ut sanguis uehementer erumpat, efficit. Si
ex superiore parte aliquis decidit, si cõtusus est, si ex aliquo subito casu sanguinẽ uo
mit, quãuis paulò ante sumpsit cibũ, tamen protinus ei demenda est, ne si subsede=
rit corpus affligat. At si morbi ratio patietur, tum demũ nulla cruditatis suspectione
remanẽte id fiet. Ideoq; ei rei uidet̃ aptissimus aduersæ ualetudinis dies secũdus aut

C tertius. Sed ut aliquando etiam primo die sanguinem mittere necesse est: sic nunquam utile post diem quartum est, cum iam spacio ipso materia & exhausta est, & corpus corrumpit: ut detractio imbecillum id facere possit, non possit integrum.

SYMPHORIANI CAMPEGII LVGDVNENSIS, Loringorum Archiatri, tractatus secundus primi libri De curandi ratione per sanguinis missionem, ex Hebræorum, Arabum, ac Pœnorum traditionibus.

Quare autor ex Arabũ numero prætermisit Halyabbatem. CAP. I



MIRARI fortasse quispiam nõ desineret, ut qui præcipuorũ Arabum sententias afferre secũdo pollicitus sum, Halyabbatẽ reticuerim, quem nostri perinde ac uetustissimũ doctissimumq; semper iudicarũt. Cui respondeo, me Halyabbati plurimũ oblectatũ nonnunquam fuisse, insudasseq; frequenter. Verũ dum in uisendis pariter Isaac Israëlitici operibus incumberem, incidit locus in quarto febriũ, capite de diebus creticis, ubi se aliquãdo Pantechnen ædidisse, ad illud crebrò lectorem remittens, fatetur. Cum autem frequẽter ad Pantechnen illo suo cõsilio accesserim, quæsierim insuper quid Halyabbati in dispositione Regali, menti esset: in ambobus easdem prorsus sententias eadem penè uerborũ serie, in eisdemq; capitibus notatas reperiẽs, iudicaui hæc fuisse eiusdem autoris opera: imò unum idemq; unius autoris opus, posterioremq; à priore hanc ditissimã traditionem abstulisse. Et Stephanũ quendã philosophiæ nomen assumentem, sub nomine fictitio Halyabbatis, ab Isaac potius, quàm ediuerso, Pantechne opus surripuisse: propterea quod Regalis illa dispositio Haly attributa ac potius fictitia, Rasim Pœnũ memorat ac citat plerisq; in locis. Rasis uero crebrò Isaac
D sermones, suo operi Continentis annectit. Vnde clarũ relinquitur, Isaac longe ante Stephanũ illum cũ suo Haly, fictitio autore, scripsisse. Et propterea quæstioni satisfactum esse, cum Isaac in Pantechne autoritate usi fuerimus. Quibus ambobus succedens Constantinus Africanus montis Cassinensis monachus, & ipse falso similiter opus Pantechne, quod Isaac fuit, sibi ascripsit. Nec putet quis Constantinum solum Pantechne nomẽ ab Isaac deprompsisse, ut multis placuit, illúdq; traditioni suæ Halyabbatis supposuisse: sicq; nomine Regalis dispositionis mutato, illud opus in quo interpretis officio tantũ functus est, sibi destinasse, non opus Isaac. Etenim Isaac ubi in febriũ libro lectorẽ ad Pantechnen Viaticumq;, quorũ ipse autor est, mandat, si ad illa accesseris, reperies profectò sermones, locaq; secunda simul ut direxit primis cõuenire, nihilq; dissidij interesse. Quare autem omnem uerborũ maiestatẽ, facundiam, eloquijq; latini phaleras relinquẽs, quotidianũ planeq; rudem sermonem in hac æditione elegerim, si percunteris, non incõsulte hoc actũ esse scias. Sunt etenim nostri Montispedenses medici quidã hac tempestate plurimũq; incompti, quibus satis est, imò ex industria eos delectat rudis sermo magis quàm latinorũ uocabulorũ obseruantia: nõ satis aduertentes tam immensam tamq; præclaram artem barbarie fœdari flagitiosissimũ esse, ac penitus nobilissimam facultatem infamare.

Constantinus falsò sibi opus Pãtechne adscripsit.

De sanguinis detractione ex traditione Isaac Israëlitæ, qui Regis Arabum fuit filius adoptiuus. CAPVT II



ARABES ac Pœni studiosissimi Hippocratis ac Galeni æmulatores fuere, & in medica arte interpretanda insudarunt plurimũ, & quantũ in ea ualuerint, hoc uno clarũ existit, quod cum Græcis ac Latinis huiusce artis gloria decertare audent. De quorũ numero Isaac Israëlita, Salomonis regis Arabum filius, nullis eorũ secundus, multis ac gloriosis scriptis clarissimam & facilẽ permeabilẽ reddidit medicinã. Quem sequuti Rasis Pœnus, Serapio, Princeps

A insuper eorũ Auicenna, Alsaharanius, Abimeron Abynzoar, Mesues, & aliĳ permulti, in medicinis nõnulla egregia quidẽ, imò copiosissima chartis mandarũt. Isaac in primis de sanguinis detractione annotauit in Pantechne nono practicæ, cap. secundo, his uerbis: Primũ quidem medicũ scire de phlebotomia expedit quas præceperunt antiqui conditiones, quæ quinque sunt: Prima quidẽ, ne paruus phlebotometur puer, sed nec senex. Secũda, ne seruũ nisi ex domini uoluntate sanguine minuas. Tertia est, ne in obscuro id fiat loco. Quarta, ut phlebotomator sit expertus in arte. Quinta, ut sit nouacula non tenuis, longa, nec breuis, sed utriusq; medium seruans. Oportet in phlebotomãdo cauere, ne fortè in eius sint stercora cõclusa uisceribus, quoniã malũ: Vena nanq; cum minuit, ab intestinis malos contrahit chymos. Intestina ergo prius purgentur, & stercus euacuet, aut cum lixiuĳs aut certe clystere. Et cum febricitantẽ minuere uis, & eius circularis est febris, circuitus die phlebotomũ caueas. Quod si continua est, diei minues principĳs, ea scilicet hora, qua in eo uictus ualentior est, & calor quietior: sicq; & cuius calida est cõplexio, in æstate minuatur: cuius autẽ cõplexio est frigida, & tempus hyemis, in die medio minuat: nec illius sanguinem prima extrahas uice, nisi modicũ: & postmodũ dabis syrupũ de pomis. Nec illum phlebotomari, cuius stomachus debilis, aut iecur, expedit: aut in, cuius plurimũ cõplexione frigus dominatur, & cuius corporis uenæ plenæ sunt, aut corpus rarum, nisi cum timore & cautela, & necessitate urgente. Nec uero illum cuius debilis est uirtus, minuas, nisi morbi alicuius difficilis causa impulerit, qua magis patienti timeat, ut suffocatio est, pleuresisq; & peripneumonia: ne sanguinẽ semel extrahas caue, sed paulatim & uicibus numerosis. Nec uero te syncopis hac in parte fallat: quoniam ex quorũdam est hominũ cõsuetudine, deficiunt enim nonnulli
B antequã quę necessaria est extrahatur sanguinis quantitas. Duplica ergo, & sanguinem iuxta quod opus fuerit, educas. In pleuresi, peripneumonia, atq; hepatis apostemate, sanguis est corruptus et putridus, ideoq; ipsum in talibus extrahere, donec immutet ruborẽ, expedit: hoc tamẽ faciendũ est, cũ sufficiens uirtus fuerit, & ad huiusmodi respondẽs desideriũ, ætasq; iuuentutis, aut illi proxima: tempus uernũ, aut temperati aëris. Cum aũt res cõtrario se habebũt modo, eritq; uirtus debilis, ætasq; puerilis, aër & tempus nimĳ caloris, aut cõtrà frigoris, tunc iuxta quod uirtus, ætas tempusq; præsens sufficient, sanguinem extrahe: & hoc nõ semel, sed paulatim, sæpeq;, donec quãta est necessitas, fuerit imminutus. Et in hac parte diligẽtius intuendum in ætate, quoniã nonnunq; patiens septuagenarius est & fortior, multiq; sanguinis eductioni sufficiens. Hoc autẽ fit, si pleni sit senex corporis, mediocrisq; coloris, & perfectę & sanatæ membrorum uirtutis, q; iuuenis albi coloris, pinguis, pilis nudis, rari corporis. Hoc cum animaduerteris, nõ expedit senem à sanguinis minutione arcere potiore, quàm iuuenem, cuius hæc habitudo est.

Conditiones quinq; ad phlebotomiam requisitæ.

Sanguinem uicibus numerosis extrahas.

Quibus & quando phlebotomia est prohibenda.

De iuuamentis & nocumentis phlebotomiæ, ex traditione Alsaharanĳ Arabis. CAPVT III



ALSAHARANIVS Arabs de iuuamẽto euacuationis sanguinis ac nocumento nos admonuit libro Theoricæ suæ, capite secũdo, his uerbis: Qui frequenter minuit sibi de sanguine præter necessitatem, incidit in malitiã cõplexionis, hydropisim, & casum appetitus cibi, & citò aduenit ei senectus, & debilitas uirtutis corporis, & debilitas uentriculi, stomachi, & hepatis, & ducit ad tremorem, & paralysim mediæ partis corporis, & spasmum, & grauitatẽ sensuũ, & debilitatẽ omniũ uirtutũ naturaliũ uniuersaliter. Illi uero qui nõ minuit sanguinem uigente necessitate, adueniũt genera apostematũ, & febrium continuarũ, & apostema laterũ, & ægritudinũ uariolarũ, & similium, & sputũ sanguinis, & repentina mors, & apostema quod dicit alcahon, & apophexia

C sanguinea quæ dicitur alsechea, in qua rubescit facies & nigrescit, & passio anginæ, & genera leprarũ. Iuuamentũ aũt sanguinis minutionis apud tempora necessitatis maximũ est in cõseruatione sanitatis, & multarũ ægritudinũ sanatione. Sustinentes iam melius phlebotomiã sunt, qui carnosi sunt & corpulẽti, habẽtes uenas grossas, apparentes, & pilosi, & rubei corporis, & habentes carnẽ spissam, nõ pinguem: sed & iuuenes, & uiri perfecti. Pueri autẽ & senes, & præcipue qui peruenerũt ad ætatem sexagenariam, non cõsentiant phlebotomari nisi proxima necessitate. Illi uero qui plus ea indigẽt, eos cõsueuerunt inuadere apostemata quę dicũtur aldemanut, & febres, & qui assiduant comedere carnes & bibere uinum dulce. Et caueant ab ipsa, habentes stomachi debilitatem & hepatis, & melancholici. Et illi quos inuadere consueuerunt passiones frigidæ, & qui utuntur labore nimio, ac maris nauigationibus. Hæc Alsaharanius.

De phlebotomia & eius iuuamentis & nocumentis, ex traditione Rasis Pœni. CAP. III

RASIS Pœnus de sanguinis missione nos admonet tractatu quarto, cap. xiiij. his uerbis: Ex frequẽti sanguinis detractione cõplexionis malignitas, & hydrops, ac festina senectus, ac appetitiuæ destructio, pulsusq; paruitas, stomachi ac iecoris & cordis debilitas, tremor, paralysis, apoplexia, ac omnium uirtutum naturaliũ debilitas. Ex negligentia autem eius extractionis cum ea indiget, accidũt apostemata, exituræ, febres cõclusæ, phrenesis, pleuresis, uariolæ, morbilli, hemoptoica passio, mors subita, pestilentia, apoplexia sanguinea. Infantes & decrepiti phlebotomandi non sunt. Illi uero à phlebotomia abstinere debent, qui stomachum & hepar habent debilia. Hæc Rasis.

D

Quædam de phlebotomia ex traditione Auicennæ. CAP. IIII

PHLEBOTOMIA est euacuatio uniuersalis quę multitudinem euacuat. Multitudo autẽ est augmentũ humorũ super æqualitatẽ ipsorũ in uenis. Vnusquisq; phlebotomat̃ propter sanguinis multitudinẽ, aut propter ipsius malitiã, aut propter utrũq;: quæ facienda nõ est in die motus ægritudinis. Cũ uero sanguis fuerit bonus, paucus, & fuerint in corpore humores plurimi & mali, phlebotomia bonum rapiet, & malum relinquet. Et si necessaria fuerit phlebotomia, cũ debilitate uirtutis, partire ipsam. Cauenda est phlebotomia in febribus uehemẽtis calfactionis & inflammationis. Et summopere tibi caue, ne ægrum ad unam duarũ perducas rerũ, scilicet humorũ cholericorũ ebullitionem, & frigidorum cruditatẽ. Caue tibi ne fastiditum phlebotomes, sed prolonga ipsum, ut eius fastidium digeratur. Et dum diuersio est necessaria, ut phlebotomiæ uices sint multæ, quàm quantitas multa. Phlebotomia quandoq; febrem commouet, & quandoque resoluit putrefactionem. Hæc ille.

De phlebotomia ex traditione Auerrois. CAP. V

Auerrois 8. Colliget, capite 3

QVANDO facienda est phlebotomia, necesse est ut præuidea t̃ ætas & uirtus & aër & regimen & consuetudo: & si ista omnia significent supernecessitatẽ phlebotomiæ, tunc secure minuas posito omni timore, & attendas ne sit in corpore membrũ læsum, prohibens phlebotomiã, sicut os stomachi frigidũ, & quod nõ diu ęgrotauerit. Et nõ debemus minuere usq; ad duas septimanas annorũ secundũ Galenũ, & si natura ęgritudinis hoc requirat manifeste. Et dixit Abimeron Auenzoar: Ego minui filiũ meũ trium annorũ, & euasit à morte. Et si uirtus sit plurimũ debilis, nõ solũ minuas parũ, sed omnino abstineas à phlebotomia. Et si uiderimus esse necessariũ, ut in ægritudinibus senum facias, tamẽ cũ timore.

timore. Tēpus cōueniens est uer: tēpus uero æstatis prohibet, propter uirtutis debilitatem, & propter spirituū resolutionē: & si ægritudo illo tempore euacuationē requirat, fiat in parua quantitate. Tempus hyemale phlebotomiā prohibet, propter sanguinis coagulationē & eius grossitiem quā habet. Autumni tēpus propter æstatis propinquitatem non est conueniens propter ipsius siccitatem, & uentorū turbationem, ac debilitatem operationum, & tempus calidū quod præcessit. Et si natura ægritudinis phlebotomiam requirat, minorari debet quantitas. Hæc ille.

SYMPHORIANI CAMPEGII LVGDVNENSIS, Lotharingorū Archiatri, tractatus tertius libri primi, quo docetur quando sanguis mitti debeat in uiscerum inflammationibus. Ex traditionibus neotericorum & recentiorum autorum.



CVM in alijs artibus, quæ in solam cōtemplationem referunt, turpe sit, uel inanis gloriæ studio, metu famæ ueritatem uiolare, adeò ut summi uiri interdum nō solum præceptorū dicta reprehenderint, sed ipsi palinodiam cecinerint, plus ueritati quàm uel sibi uel amicitiæ deferentes: Id certe in arte medica flagitiosum erit, in qua agendorum occasio præceps, angustissimaq; est, ob materiæ quam tractat nobilitatē, atq; fluxum: adeò ut ille dextre agere censeatur, qui naufragijs aliorum edoctus à Scylla & Charybdi quamlongissime effugit. Ergo cum in medicina sanguinis missio uniuersalis sit euacuatio ac maxime necessaria, neoterici quæsiere, an in febriū inflammationibus sanguis sit detrahendus: & an inter initia, uel in processu sit mittendus. Primo ponam nonnullos recentium ac neotericorum canones, tandem conclusiones.

Occasio pernix.

Neotericorum medicorū quæsita.

B

Primus Canon. Stante sanguinis repletione peccante in quanto solum, in principio non est expectanda digestio, ut in alijs humoribus, sed statim facienda est phlebotomia: & si uirtus tolerat eradicatiua: nam per eam aufertur febris.

Secūdus Canon. Si peccet sanguis ex mixtione aliorū humorum ipsum inficientium, & tales humores multum distent à natura sanguinis, & reddatur sanguis uiscosus & crassus, tunc satius est digestionē expectare, ut præcepit Galenus, & eam digerere cum syrupo de hyssopo, deinde phlebotomare.

Tertius Canon. Vbi fuerit mixtio sanguinis cum alijs humoribus, si non fuerint multum distantes à sanguine, uel extranei à natura, cōpetit phlebotomia in principio, non expectata digestione saltem minoratiua.

Quartus Canon. Impossibile est stante mixtione debita aliorum humorū cum sanguine, copiosiorē in processu phlebotomiam cōpetere, quàm in principio, ubi facta fuerit in principio minoratiua, deinde data sint digestiua: et hoc uoluit Auicenna quarta primi, quando præcipit phlebotomiam fieri in febre sanguinis & alijs humoribus sanguine mixtis, & tunc fieri in principio minoratiuam, & in processu copiosiorem. Ex quibus apparet differentia phlebotomiæ quando est à sanguine puro, aut alijs humoribus cum sanguine: Nam in prima fit copiosa, in secunda minoratiua solum.

Quintus Canon. Stante mixtione aliorū humorū cum sanguine, sanguine ipso nō peccante, consiliū Auicennæ est ut relinquat phlebotomia, quantū possibile est: & si non potest, partiri oportet phlebotomiam. Et hic aduerte Galenū audaciorem fuisse phlebotomādo ipso Auicenna. Quare undecimo Methodi, in omni putrida nō dubitauit phlebotomiam facere, quia Græci multo abundant sanguine, & sunt Hispanis & Carthaginensibus robustiores. Arabes autem debiles sunt & pauciores sanguinis propter illorū caliditatē: quare in casu mixtionis relinquit Auicenna phle

C botomiam, si alio modo curari possit. Et hoc ueritatem habet, quãdo febris est de numero prolixarũ, in quibus indigemus maiori uirtutis fortitudine: etiam quando expectas totam materiam unica expulsione debere per crisim euacuari. His canonibus seruatis, ponam aliquas conclusiones.

Prima cõclusio. Synocharũ sanatio & cura phlebotomia est, & aquæ frigidæ potus, ut Galen. nono Methodi uoluit. Vnde Rabi Moses autoritate Galeni inquit: Curationis synochæ tramites omnes cassant per obmissionẽ phlebotomiæ. Et ideo te nunquam intromittas, nisi prius phlebotomiam feceris.

Secunda cõclusio. Magnæ sagacitatis est non subtrahere sanguinẽ subitò usq; ad syncopim, etsi contrarium uoluerit Galen. ix. Methodi: sed reiterãda est potius, trahendo uice prima medietatem, & secundo aliam. Cui sententiæ cõsentit Gallus ille Gordonius neotericorũ expertissimus, laudans illam partiri per uices, partẽ manè trahẽdo, aliam uero uespere. Auerrois Colliget viij. Galeni opinionem uituperat, adducens quinq; contra eum rationes.

Tertia conclusio. Phlebotomia solennis est euacuatio, cuius utilitas & eius nocumentũ uulgò manifestantur: estq; eadem abominabilis si ampla nimis sit, & cruor euacuetur ultra cõmunem uulgi opinionem, & maxime si in syncopim labatur.

Quarta cõclusio. In febre synocha quam inflatiuã appellant, in principio cõpetit phlebotomia illa, quam eradicatiuam dicũt. Nam ex multitudine sanguinis quandoq; timetur suffocatio, & mors ex ea tandem.

Quinta conclusio. Quando timetur ex obmissione phlebotomiæ futurũ apostema in membro principali, celebrãda est phlebotomia ampla, citra tamen syncopem: tutius tamen esset & minus malum usq; ad syncopin deuenire, à qua releuatur pa-
D tiens cum cibo subtili, & fricationibus, & aspersione aquæ frigidæ in faciem, quàm mortem incurrere: & maxime si homo sit fortis, & uires robustas habeat.

Sexta cõclusio. Si nõ sit aliquid quod cogat ad phlebotomiam ita copiosam, quia homo non est fortis & potens, & talis ut dictum est, melius est eam partiri, quàm ad syncopen ducere. Quare dictũ est superius, Galenũ fuisse audacem phlebotomando, Auicenna uero remissum cruorem euacuando, qui uehiculũ est animæ humanæ. Nam Galenus Græcus uel Asiaticus ex Pergamo, & Græci plurimo utũtur uino, ac carnibus se replent. Mahumetenses, & præsertim Arabes, ex lege non bibũt uinum: quare ita sanguine non sunt repleti.

Septima cõclusio. Sarmatę, id est Poloni, Bohemi, Transrhenani, Daci, Britones, qui corpora habẽt robustiora Italis ac Hispanis, cibo multo ac potu se replentia, Cereri & Baccho in totũ deseruientia, talis phlebotomia nõ discõueniret usq; ad syncopin: uirtute tamen consentiente. In Celtica Gallia & sub sexto climate, quales sunt Lugdunenses, non sic conueniret, & ideo medici eam partiũtur per uices. Gordonius inquit: Mihi uidetur tutius facere phlebotomiam multiplicando numerum donec deficiat materia, & non patiens: & melius est ægritudinẽ prolongare, q̃ si mors mihi imputet. Nam per hanc duæ cõplentur intentiones: Prima, quia per illam remouet inflammatio, quia est de maxime refrigerantibus: quapropter dicebat Auicenna: Et scias quod phlebotomia, & sumere aquam frigidam, quãdoq; excusat ab alia infrigidatione. Ex sola enim phlebotomia usq; ad syncopim, liberatus est æger ex synocha, nono Methodi apud Galenum.

Octaua cõclusio. Vbi esset necessaria sanguinis missio, & fieri nõ potest ratione ætetis, aut quia æger delicatus, uel illã pati nõ uult, applica cucurbitulas siue uentosas spatulis aut natibus, aut prouoca hæmorrhagiam ex naribus, aut hæmorrhoidas uel menstrua: & si contingat cruorem exire per se, nullò modo constringas, nisi ad debilitatem nimiam perduceret ægrum.

Nona

A Nona cõclusio. Phlebotomia cõueniente, fiat de brachio ex uena cordis, id est ex nigra, quia in ea cõtinetur multitudo sanguinis, à quo febris dependet, ut scribit Rabi Moses, Galeni autoritate, & ut nõnulli scripsere. Si sanguis peccat solũ in quanto nõ in quali, fiat de uena brachij dextri: & si cum multitudine est acuitas, fiat de sinistro propter cordis feruorem. *Vena cordis.*

Decima cõclusio. Quacũq; hora medicus à patiente uocatur, debet ipsam quàm citius potest facere, nisi fortè sit prohibẽs aliquid: nec expectetur crisis, nec digestio, nisi fuerit repletio nauseatiua, quã remouent quidã cum fricationibus extremitatũ, abstinentia & clysteribus. Et leniri semper debet uenter ante phlebotomiam. Sanguis detrahendus est usque ad quartum diem: quartus autem, ut scribit Platearius, sit exclusus, & cum Plateario cõcordat Celsus. Gordonius tamen cum Galeno oppositum scribit. *Plateari opinio.*

Vndecima cõclusio. Nonnulli ex antiquis scribũt, non debere phlebotomari in statu ægritudinis, propter uirtutis debilitatem, & accidentiũ fortitudinem, quia periculum est de ægri extinctione.

Duodecima conclusio. Facta phlebotomia, pòst horis duabus da cibũ ex pane loto in aqua frigida, comedat lactucas, acetosam, & huiusmodi: & si uirtus foret debilis, dormiat, ut Galenus scribit nono Methodi.

Decimatertia cõclusio. Vbi nõ potest fieri phlebotomia neq; scarificatio, quo sanguis euacuetur, tunc fac uentris solutionẽ cum pharmaco respiciente bilem, ut est Reubarbarũ: sicut in causone, & febre adruente: quia cum sanguis putrefit in febribus arsiuis, ad naturam choleræ conuertitur.

Decimaquarta cõclusio. Vbi in stomacho, intestinis, aut uenis capillaribus & meseraicis reponũtur materiæ corruptæ, debet phlebotomiam præcedere lenitio uentris, cum cassia, manna, siue rore Syriaco, aut cũ clystere, ut talis lenitio citò fiat, ne impediatur phlebotomia. Et nonnunq; post phlebotomiam copiosam uirtute fortificata aliquando accidit fluxus uentris cholericus & copiosus sudor: caue tunc ne restringas fluxũ, nisi fortè accideret fortis debilitas, neq; sudorem abstergas continue: nam sic fortasse curabitur, ut uult Galenus Methodi nono.

B

Decimaquinta conclusio. Si acciderit fluxus sanguinis nariũ, & ex ipso timeatur syncopis, debes statim restringere, quia talis euacuatio nõ regulatur à natura: nam naturalis euacuatio non adeò prosternit uirtutem, ut artificialis.

Decimasexta cõclusio. Coacte aliquando cogitur medicus incipere ab alteratiuis prætermittendo phlebotomiam, ut si febris esset arsiua intensæ caliditatis. Et de tali loquitur Rasis in libro diuisionũ, dum inquit: Si obmittitur phlebotomia, stude dandum ægro aquam frigidam plurimã usq; ad satietatem, aut infrigidetur ut tremat.

Decimaseptima conclusio. In febre tertiana interpolata syncera, raro facienda est phlebotomia: Nam si fiat & nõ cõpetat, periculũ est ne de interpolata fiat continua. Nam per phlebotomiam euacuatis uenis, materiæ ad extra trahuntur ab intra: ipsa enim materias subtiliat, & ipsas in motu ponit. Quare timendo inflammationẽ maiorem, nõ temere facienda est phlebotomia. Ea de re in febribus magnæ inflammationis prohibetur, ut in causone. Quare inquit Auicenna: Non phlebotomes, fortassis enim phlebotomia inflammabit eos. Dicit Gordonius, phlebotomiã in causone esse de raro contingentibus.

Protestatio autoris.

Nõ miraberis lector amãtissime, si cõmuni tritoq; sermone utimur, siquidẽ communibus uerbis est utendũ & facilibus, cũ ea quæ tractanť, nulla uerborũ luce satis clara fieri possunt. Præterea queẽadmodũ Cicero lib. secũdo Offic. popularibus uerbis censet agendũ & usitatis cum loquimur de opinione populari, ita & nos barbaris iudicamus utendum, cum de barbarorum & Arabum doctrina disputamus.

C

SYMPHORIANI CAMPEGII EQVITIS AVRATI, LOTHARINGORVM ARCHIATRI

de Apologetica disceptatione inter Andream Thurinũ Florentinum Pistiensem, & Mattheũ Curtiũ Ticinensem doctorem, quo docetur per quæ loca sanguis mitti debeat in pleuritide, ad filium Antoniũ Campegium, Lib. II

Symphorianus Campegius Antonio Campegio filio suo, S. D.



T cum aliis & mecũ, fili charissime, sæpe cõquestus sum, multos quibus & ingenii & numerosæ eloquẽtiæ talentum deus ipse contulerit, idipsum uel sudario, quod euangelica lege cautũ est ne fiat, inuolutũ defodisse, uel dispẽdiosis mercibus dilapidasse: Siquidẽ plerosq; nõ sine animi indignatiõe cõtemplatus sum, alioquin literis & ingenio pollentes, qui ab opere cessarũt, aut Arabes, Pœnos, Aegyptios, Israëlitas, Mahumetenses, alios tum obscœnos, tum barbaros medicos æmulati sunt, potius q̃ senem Hippocratẽ, Galenũ, Paulum Aeginetam, Alexandrũ Aphrodisæũ, Oribasium, Asclepiadem, Dioclem, Archigenem, alios ue ueteris medicinæ autores multos Græcæ eloquentiæ præcellentes medicos, qui medicinã unà cum eloquentia celebrauerũt. Quædã etiam intra quadringentos annos, atq; adeò nuper cõmenta & statim recepta sunt. Hæc scilicet est illorũ tam uetus doctrina, ut fermè Hippocratẽ & Galenum præ eaceu nouum dogma haberi & reiici cupiant. Discant igitur tandem, nos ueterem & uere naturalem medicinã humanæ cõditionis prædicare, nempe logicalem ac Hippocraticã & Galenicam medicinã. An hæc sunt noua? In pleuritide inter initia sanguis ex parte dolente est detrahẽdus, ut latere dextro affecto, mittẽdus est inter initia ex brachio dextro: Hęc enim fuit Hippocratis, Galeni ac Oribasii opinio. Noua inquit, Andreas Thurinus doctrina est in Lutheranorũ medicorũ officinis nuper cõficta. Persistamus in fide ueteri medicorũ. Arabũ, Pœnorũ, Israëlitarum doctrina, autoritas Auicennæ, & tot seculorũ cõsensus ualeãt, & Neoterici cum noua illa in Matthæo Curtio, ac Petro Brissoto in Ticinensi & Parrhisiensi gymnasiis nata doctrina: Quibus nõ aliud responderim, q̃ quod olim Sadducæis Christus: Erratis, inquit, nesciẽtes scripturas. Sed dicimus Arabibus nouis: Erratis, nesciẽtes Hippocratis, Galeni, Oribasii, ac Græcorũ medicorũ doctrinã, atq; utinã id saltem æquitatis à cerebroso hominũ genere impetrare possim, q̃d Ethnicus præstat Ethnico: nempe primo causam cognoscãt: dein si uidebit, reũ cõdemnent. Iam causa incognita Thurinus Matthæũ Curtiũ collegam meũ, & Brissotũ damnat: nõ quidem Curtiũ, aut Brissotũ, imò in Curtio & Brissoto Hippocratẽ & Galenũ. Certe qui posito affectu cæco iudice, rem ipsam pressius cõtuetur, de Curtio ac Brissoto secus iudicat. Nam bona pars eorũ quæ Curtii & Brissoti dãnatores docẽt, priscis etiã medicis ignorantur, tm̃ abest ut pro ueterib. & Hippocratis & Galeni doctrinis haberi debeãt. Ad hæc quæ Arabes scripserũt, nõ omnia Græcorũ spiritu synceritatẽ respiciũt. Quædam etiam intra quadringẽtos annos, atq; adeò nuper cõmentata, & statim recepta sunt. Scilicet hæc est illorũ tam uetus doctrina, ut fermè Hippoc. & Galenũ præ eaceu nouũ dogma haberi cupiãt. Discãt igitur tandẽ Curtiũ & Brissotũ cũ Hippocr. & Galeno, ueterẽ doctrinã, nõ nouã docere. Auicennã nescio qua mente citius admiserit Thurinus, q̃ Galenũ & Oribasiũ. Si autem aliquis importunus forsitan calumniator quæsierit, uter doctior in refellẽdo antiquorũ opiniones, Curtius ne an uero Thurinus? Profectò cum odiosæ sint huiuscemodi cõparationes, de utroq; mihi amicissimo, neq; improbo, neq; indocto iudiciũ promere non est animus, nec aliter uolo q̃ de collega ac amico iudicare. Matthæũ Curtiũ collegam meũ, uirũ haud dubie doctũ nõ diffiteor, sed qui Galenice dicere maluerit, & philosophice q̃ Arabice

D

aut

A aut Tulliane. Meũ semper iudiciũ fuit, Curtiũ in medicinis magis Hippocratice, quàm Thurinũ cũ Arabibus Galenice & scribere & sapere. Multa enim, fili charissime, in hoc libello De Græcis ac barbaris Arabibus & Pœnis eruta monumentis, ad hanc diem multis ignota, quæ si à plerisq; (ut sunt inuidi sæpe homines, ideoq; indocti) statim nõ probabũtur, ipsi uiderint: bona certe iudicia nõ reformido: quanq; ut ille inquit, & sua riserũt secula Meonidem. Atqui nec ipsi maleuolis scribimus, sed bonis, si ita libet certe tibi: & si hoc etiam moleste ferunt, mihi ipsi tantũ ut Ismenias cecini. Vale fili, & ut facis Græcorũ opera, & præsertim Galeni, uigilanter agitato. Lugduni, ultima Septembris, anno millesimo quingentesimo tricesimoq;.

De missione sanguinis in pleuritide, ex Hippocrate. CAPUT I



ET ne ociose nimis Hippoc. adiremus in ipso penè uestibulo secundi Regiminis Acutorũ textu x. obijcitur locus animaduersione dignus: Cum dolor, inquit, ascendit ad furculas, aut grauitas fit circa brachiũ, uel mammillam aut pectus, quæ sunt supra septum transuersum, phlebotomãda est basilica. Et in quarto Regiminis Acutorũ, textu lxviij. inquit: Incidere oportet uenam, quæ intus ad qualescũq; partium, ab eo latere quod dolore fuerit affectum. Secundũ aliam translationẽ sic habetur: Si quidẽ iugulũ, mamma, brachium ue doleat, uenã interiorẽ brachij qua affectus est, pertundito. Hanc Hippocratis autoritatem commento, ut dicitur apud Gallos, Aurelianensi interpretatus est Andreas Thurinus, asserendo Hippocratem docere uenam, quę incidenda est in actu curatiuo, & nõ quæ incidenda est in actu præseruatiuo. Harũ, inquit Thurinus, prima respicit materiam quæ fluxit siue in totũ, siue in partem: & hæc debet nõ in principio
B fieri, sed in statu, & per rectitudinẽ patientis particulæ. Venæ autem, inquit, incisionem quæ ad artem pertinet, quæ præseruatiua dicit, quæ fit in principio, & ad partem contrariam particulæ patienti, & respectu humoris qui actu fluit, ipse Hippocrates, inquit, ut breuiloquus omisit, quia nõ intendebat, infit Thurinus, dare præcepta, nisi ea quæ ad artem pertinent curatiuam, cuiusmodi non est diuersiua. Sed dic Thurine charissime, cur in pleuritide & costali morbo nõ debet curatiua phlebotomia, cum in principio pleuritidis sit apostema & ægritudo & febris, & maxime in principio nõ principiante, quia raro aut nunq; in tali principio uocatur medicus. Ergo cura debetur in pleuritide in principio, cum in morbo debeatur cura: ergo Hippocrates docuit uenam incidendam in actu curatiuo in pleuritide, non præseruatiuo solum: Non enim in libris Acutorum passionum De morbis futuris & prænotionibus ac eorũ præseruationibus, sed de præsentibus scribit, relinquens prænotiones ac prognostica. Sed ne me putes aliquid finxisse, quoniã uos Itali soletis nõnunquam scriptorũ autoritate moueri, testem citabo Galenũ ipsum, eodem in loco de uenarũ dissectione in pleuritide, qui ait: Quando extenditur dolor uersus membra alta, tunc oportet ut minuamus ex uenis, quæ sunt in curuatura manus, uenã per quã possibile est attrahere, ex sanguine qui est in membro infirmo ad contrariũ partis ad quam declinat, quãtitatem multam cum uelocitate. Et quando extendit uersus membra inferiora, oportet ut fiat euacuatio per mũdificationem cum solutiuis. Hæc Galenus. Vide mi Andrea, Galenum uoluisse hoc in loco minuere sanguinẽ in pleuritide à membro infirmo, cũ uelocitate & quãtitate plurima. Hoc enim Hippocratis præceptũ est, ubi dolor & materia ad brachiũ eiusdẽ lateris tendit. Docetq; retrahendã esse materiã Galenus à loco ad quem incõmode tendit, hoc est ab ipsa pleuritide ut, à mãmilla in uenã cauam, dato itinere in eo loco ad quẽ natura tendit: cõmode uidelicet in brachio eiusdẽ lateris: hoc enim modo plurimum & subitò ab ipsa parte laborante uacuari, quod in phlegmonarũ acutarũ curatione propositum

C monachus, libro tertio Viatici, capite xij. ait: Si uideamus apostema diaphragmatis sanguineũ, si sequant̃ tempus, ætas, consuetudo, & uirtus infirmi, festinemus ut de basilica uena minuamus de latere ubi infirmus patitur, antequã augmentetur, maxime si dolor ascendat usq; ad furculas: q̃d in periconoxeon præcipit Hippocrates. Quũ loca superiora lateri doloroso sint colligata, basilica uena incidenda erit: Si inferiora loca doloroso lateri dolore sint colligata, pharmacia danda est. Si infirmus sit fortis, non est cura alia adhibẽda quàm quæ in phlebotomia præcipimus obseruanda. Sed phlebotomandus est maxime si à sanguine sit morbi species. Vnde si uirtus defecerit, non oportet phlebotomare, sed quantum possumus uirtutem custodire: Phlebotomia enim est molestissima cum defectione uirtutis. Hactenus aperte Constantinus, siue ipse solus, siue ipse in Isaac uertendo de Arabica lingua in sermonem latinum. Hic textus opinionem Thurini cum Pœnis & Arabibus ambulantẽ euertit. Nostræ præterea partes erunt ostendere non solum ex rei natura, sed ex Constantino Africano siue Cõstantino in Isaac, quod è directo intelligantur dextra dextris, & sinistra sinistris. Ex multis libris Constantini hæc paucula sufficiant, ex quibus constat, Constantinum partem Græcorum de secanda uena in pleuritide tenere, & nõ esse Auicennæ, Rasis, ac reliquorum Arabum sensa alio quam dixerimus modo recipienda. Sed unde nam poterimus ista uenari, alibi dicemus.

De sanguinis missione in pleuritide, ex Archigene. CAP. VI

OPERAEPRECIVM est breuiter referre, quę Archigenes de sectione uenæ in pleuritide senserit: At acute, inquit, ægrotantibus, si circa maniam & clauem fuerit dolor, secare oportet in ancone uenam, ardente latere, non ad ixin, sed cathexin brachij. Neq; tantum sanguinis detrahatur ut
D anima deficiat: nam ex hoc subest periculũ peripneumoniæ. Refrigerato enim admodũ sanguine, pulmo qui rarus est & calidus lateriq; uicinus, facile excipit morbum. Hæc Archigenes. Quod enim ab ipso cathexin dicit̃, idem est quod ex ęquo, & è directo idem quod eiusdem lateris: alioquin ut suprà dictũ est, pars uteri sinistra non potius è directo cruris sinistri, quàm dextri dicenda esset.

SYMPHORIANI CAMPEGII LVGDVNENSIS, Lotharingorũ Archiatri, tractatus secundus libri secundi, quo docetur per quæ loca sanguis mitti debeat in pleuritide, ex traditionibus Israëlitarum, Arabum & Pœnorum.

Ex traditione Isaac Israëlitæ. CAPVT PRIMVM

SVNT fateor hæc quę in hoc tractatu colligã, haud magni alicuius momenti, sed quibus lectorem minus solertem facile hallucinantem uideas, qualia sunt quæ ab Arabibus, Israëliticis & Pœnis de sanguinis missione in pleuritide scripserunt. Isaac Israëlita Salomonis regis Arabum filius, ita scribit libro Pantechni sexto practicę cap. decimotertio: Opus nos in huius dominiũ passionis, in principijs si dolor ad furculas ascẽdat, phlebotomo uti basilicæ manus lateri oppositæ passionis, quò passionis materia in contrariam distrahatur partẽ, ad quam superfluitas cœpit declinare. Et si passio diuturnior sit, & materia tam roborata est, tunc passionis latere phlebotomo utaris, multumq; detrahe sanguinem, idq; secundo facere adijcias, si uirtus adiuuerit ætasq;, cõplexio, & tẽpus præsens: Abstrahendus est aũt sanguis donec ipsius immutetur color. Hęc Isaac in opere Regalis dispositionis, quod à Stephano philosopho inscribitur nomine Halyabbatis. Idem uero liber traductus à Cõstantino monacho, cui magis

A magis adhęreo, alium habet intellectũ. Sic enim eo in libro scribit: Oportet in initio si dolor furculas salierit, basilicam per antispasim phlebotomari, ut materia ad opposita diuertatur. Si uero materia quiescat, phlebotomari secundum infirmum locum oportet. Et ut multus sanguis extrahatur, phlebotomia semel & iterum fiat, si uires permiserint patientis. Hæc Constantinus in sexto practicæ Pantechni Isaac. Quibus uerbis uidetur, quod si in principio pleuritidis materia quiescat, oportet sanguinem trahere ex parte doloris. Si uero nõ quiescat, sed si dolor ad furculas salierit, & non quiescat materia, oportet basilicam per antispasim phlebotomari. Oribasius tamen libro ad Eustathium filium scribit, antispasim esse, quãdo ex ipsa parte quæ infirmatur, proxima patienti loco inciditur uena. Ex traditione tamen Cõstantini, uidetur uoluisse Isaac, quod si in principio pleuritidis materia quiescat, phlebotomari debere ex parte ægra: si uero salierit ad furculas, & materia non fuerit quieta, ex opposita parte. Cõstantini traductio uerior.

Ex traditione Auicennæ, & Alsaharanij Arabis. CAP. II


OBSCVRE nimis, ne frigide dicam, Auicenna, ac eius collega Arabs Alsaharanius, locum de sectione uenæ in pleuritide perstrinxerunt, in quem si quis pendiculantibus, ut dicitur, oculis incidat, aut hallucinabũdus inibi hæreat oportet, aut manifesta ignorationis confessione uictus abeat. Auicenna libro tertio loquens de pleuritide, ait: Ex rebus communibus est phlebotomia, sed in principio ex latere diuerso, & magis festina de saphena opposita in longitudine, et post ipsam de basilica opposita in latitudine: deinde post aliquos dies ex latere conueniente in latitudine. Hæc ille. Et Alsaharanius Arabs libro suæ practicæ tractatu duodecimo, capite ultimo, ait: Curatio apostematis diaphragmatis ex
B sanguine est: quod si est in principio ægritudinis, in prima die anteq̃ ægritudo perficiatur & uirtus infirmi est fortis, & reliquæ conditiones fuerint, phlebotometur ex basilica oppositi lateris. Et cum præterierint tres dies, & ęgritudo fuerit confirmata, phlebotometur iterum ex parte apostematis, & præcipue quando apostema est in superiore parte panniculi. Postea uero bibat decoctionem iuiubarum & passularũ sebesten, papaueris albi, dragaganti & uiolarum. Hæc Alsaharanius. Sed cum sit eadem distantia à pleuritide dextra, ad internam in cubito dextro & sinistro uenã, sitq; è directo cubiti dextri, non autem sinistri, erit magis cõtraria pleuritidis dextra, cubito dextro quàm sinistro, quoniã seruatur rectitudo & eadem distantia: imò cubito sinistro cõtraria erit pleuritidis dextra nomine tantum, & dictionis appellationis'ue figura, non autem rei natura. In hoc igitur ut in alijs plurimis errauit Auicenna cum suo collega, ut ample declarauimus in nostris annotationibus in Auicennam, ad quem lectorem mittimus, si per ocium libet.

Ex traditione Rasis Pœni, & Serapionis. CAP. III


VIDEBAM Arabicæ scholæ studiosos quosdam solicite requirere, quæ esset Rasis opinio, de missione sanguinis in pleuritide, cum in diuersis libris contrariæ legant̃ sententiæ de sectione uenæ in costali morbo. Horum curiosæ indagini Almãsoria opitulatur autoritas. Cum aliquis sub costis suis, inquit Almansor, dolorem sentit pungitiuum, & proprie quãdo siccam patitur tussim, & febrit, expedit, ut si dolor super partem costarum & furculam tendit, fiat minutio ex basilica eius partis in qua est dolor, nisi totum corpus multo sanguine repletũ fuerit, tunc enim ex latere contrario sanguinis detractio facienda est. Hæc Rasis nono ad Almansorem, quo loco curat pleuritidem per phlebotomiã basilicæ eiusdẽ lateris, corpore nõ existente repleto: sed repleto existente, per phlebotomiam basilicæ partis cõtrariæ in principio. In libro uero diuisionum, capite quin-

C quagesimoquarto, contrariam tenet opinionem, hoc modo scribens: Cura eius ex phlebotomia basilicæ, ex latere opposito: deinde iteratio phlebotomiæ ex latere doloris die tertia. Et paulò post inquit: Et si pleuresis sit ex cholera, cura eius est phlebotomia, sed ex latere doloris de basilica: & signa eius sunt pũctura & dolor in latere, & caliditas fortior quàm eius quæ ex sanguine fit, & pulsus minor & durior, & febris acutior. Hæc ille. Et quis in nobilissima maximeq; celebri medicinæ parte crederet, tam multa inuersa mutilataq; à Rasi Pœno & ab alijs suę sortis Pœnis et Arabibus? ut nõ dubitem in uniuersum opus affirmare, nullum esse in tam spaciosis uoluminibus folium, in quo non unum atq; alterũ sit acrius intuentibus mendum deprehendere. Cæterũ quis est tam ueteris medicinæ Hippocraticæ expers, qui cum in libris Arabum legerit ab uno autore, in pleuritide secandam esse uenam ex dextro latere, alius è sinistro: unus illorũ ex eadem parte affecta, alius ex opposito: non intelligat legitimũ sensum antiquę medicinæ nõ esse redditũ? Necessum est fateri ita, Hippocratẽ aliter scriptũ reliquisse: cui opinioni præter rationẽ, Hippocratis quoq;, ut dixi, adstipulatur autoritas. Serapionis filius de eadem in pleuritide secãda uena, secundo sui Breuiarij, cap. xxi. ita scribit: Et dum materia in principio permanet currens, trahamus ipsam ad locum contrariũ, & ex dorso ad longitudinem. Si autem ægritudo iam cõfirmata est, & abscissum est quod currebat, tunc necesse est ut phlebotomemus ex latere doloroso. Hęc ille. Age nunc quàm prona res fuit in lapsum, ita Hippocratem uitiari, ut insuper mẽdose sit in Serapione receptum, in pleuritide omni uenã secare debere in principio ex opposita parte doloris, siue fuerit ex materia sanguinea siue cholerica, contra opiniones Isaac, Rasis, Cõstantini, ac aliorũ suæ sortis. Sed de ijs aliàs.

Ex traditione Auerrois & Auenzoar collegæ. CAP. IIII

D REVOCANT me, iam longe progressum, ad loci pleuritidis disquisitionem, qui in primo est tractatu, lib. secũdi, nocturnæ Auerrois ac Auenzoaris curationes, quo sanè tempore libri Galeni & ipsi spectari cõsueuere. Subtexam nunc ex Auerroë ac Auenzoare scriptis quãpaucissima: nec ipsa, ut aperte dicam, magni admodũ momenti, quando ad hunc diem non definierunt, qui sedula uetustissimum Hippocratem opera sequuti sint, ut nõ adeò multa in eo desiderentur, atq; ex illis ipsis quędã quæ consultò præterita uideri possint. Sed sint illa quantumlibet leuia, quia ad lectionis emendationem attinent, pro appendice alteri centuriæ adijciam. Eritq; hoc ipsum admonere lectorem, nõ docere: etenim quæ in cõiectura posita sunt, sciebã nõ temere recipi solere. Nemo enim non libentius, si opinionibus certandum sit, suo etsi minus sit probabile, quàm alterius optimo acquiescit iudicio. Sed qui in hæc inciderint, boni consulant. Nunc uideat lector, an præter celebres aliorũ opiniones, in fronte capitis de pleuritide apud Auerroëm & Auenzoar, secanda sit in costali morbo uena ex æquo, an uero ex opposito. Lugete ô iuuenes, quod & opinio utraq; ab altera diuersa, & suũ in utriusq; calce acumen altius intuentibus demonstrãt Hippocrates & Galen. Ex qua parte in pleuritide sit phlebotomãdus patiens, ipse Auerrois septimo Colliget, primo nos admonet his uerbis: Scias quod quãdo intendimus solam euacuationẽ, tunc à propinqua parte membri euacuamus. Sed quando subtractionem ad diuersam intendimus partem, tunc à remotiori trahimus parte. Rasis, inquit, dicit quod experientia sæpissime uidit in matrestum, id est in hospitali, pleuriticos phlebotomatos ante pharmaciam, & mortui sunt. Et mihi uidetur, inquit, quod hoc fuit propterea, quia mala materia in profundo corporis in multa erat quantitate, & quando detecta fuit ad actum producta, perdidit patientem. Auenzoar autem, inquit, dicit quod non debet

A debet fieri phlebotomia nisi post corporis mundificationem. Hæc ille. Abimeron Abynzoar tractatu decimosexto, capite tertio sui Thesir, de sectione uenæ sic nos admonet, his uerbis: Et cura huius est, phlebotomare infirmum ex basilica brachij oppositi: quamuis quibusdam nouis medicis nostri temporis uideatur, quod sit mittendus ex eadem parte ægritudinis, inducendo super hoc uerba logicalia & sophistica, quod mihi nullatenus uidetur rationabile, neque uerum: imò credo certissime, quod facere illud, omnino est mors infirmi. Et præ omnibus rebus alijs debet euitare carnes. Hæc Auenzoar Arabs, uel potius Hispanus. Bethicus iste Auenzoar quorundam sui temporis meminit, sententiũ ut ipse putat, & rationes afferẽtium sophisticas: An legitimas, ignorat Brissotus. Potest enim, inquit, uerũ & ex ueris & ex falsis, item & recte & uitiose colligi. Is ex solo aduerso latere sanguinẽ detrahit, nec rationem, nec aliud adducit, quàm patris sui usum. Detur hæc ignorantiæ uenia affectui filij in patrem. Prohibet Auenzoar ne è directo mittatur. Credo, inquit, certissime quod hoc est omnino mors ægrotãtis. Credit ergo potius quàm sciat, nec per rationem, nec per experientiam. Brissotus uero, ut asserit firmissime, frequentem huius rei experientiam habuit, quod ualde & subitò conferat: sed suæ positioni, æque ac Galeni & Oribasij, Bethicus Hispanus Arabs ille aduersatur, qui nunquam è directo mitti sanguinem permittit, etsi Rasis & Isaac suæ sortis permittãt. Nonnunquam ut suprà dictum fuit, probationẽ adducit Auenzoar, quam quilibet bubulcus aduersus doctissimũ quemque afferre possit. Credo, inquit Abimeron certissime, quod hoc sit omnino mors infirmi. Sed dicendũ potius fuit, cur crederet, non autem conuiciandum tam sordide. Verum, inquit Brissotus, suis uerbis reprehendere aut certe asperari facile est, qui subdit se credere, nõ posse fieri, quod quis à pleuritide perfecte sanari possit, ante sexagesimum diem: euacuata enim causa non tandiu durat morbus, & post sanationem non est metuenda recidiua, quod suo medendi more metuendum est. Cum has quæstiones in scholis agitarent Parrhisienses, ut scribit Brissotus suo in opere Apologetico, nec auderet quisquã rem nouam experiri: Iuuenis quidã, inquit, qui me familiariter utebatur, iam persuasus, extra urbem Parrhisiorum æstate questus causa profectus forsitan, infit, temere quidem at certe feliciter plurimis sanguinẽ è directo misit, omnesque ad unũ citò sanauit, alijs morientibus: quo solo, boni medici nomen assequutus, ad suos redijt. Hoc successu, inquit Brissotus, motus Villemorus Brissoti in philosophia præceptor, pertæsus tot se aliter medẽte mori, nõ ueritus est experiri in iuuene monacho, q̃ repente sanatus est.

Nõ nisi corpore purgato uena aperiẽda est

B

Ex traditione Ioannis Mesue. CAP. V

SVNT uelut minores in alto scopuli, qui eò nauigãtibus habenẽ infestiores, quo & minus prouideri possunt: Sic & offensacula haud parum crebra, similitudine quadam uerborũ Mesuana lectione latitantia, pro synceris & emaculatis recepta, incautius currentem tam sæpe, quàm turpiter fallũt, ut illud apud Ioannem Mesuem, qui ut aliquid in capite de pleuritide adderet, distinguit de principio siue fluente materia & fluxa. Item de plenitudine maiore aut minore, & de toto aut parte. Quę distinctiones, ut inquit Brissotus, essent pulchræ, si ex euidentibus indicationibus acciperentur. Tandem, inquit, ex omnibus quatuor membris sanguinem detrahit.

C tharingorũ Archiatri, tractatus tertius libri secundi, quo docetur, per quæ loca sanguis mitti debeat in pleuritide, ex traditionibus neotericorum autorum.



PVDET me maiorum negligentiæ, qui tantum Arabum barbarorum uel incuriæ uel inscitiæ indulserunt, ut quæcunque illi scripserint, uelut mysteria quædã, aut corrigere aut mutare nephas duxerint. Sed plus omnino nostrorum hominum iuniorum, qui eiusmodi uitia turpiter recepta, aliquanto turpius ad hunc diem fouerint: neque enim ingenium his, aut eruditio, sed uolũtas defuit. Adde quod pleraque adeò nuda passim occurrant, ut nemo tam hebeti sit ingenio, cui sub primum occursum non ipsa innotescant uitia ac cõtradictiones: è quorum genere est, disceptatio de missione sanguinis in pleuritide, & per quæ loca sanguis mitti debeat, in uiscerum inflammationibus, & præsertim in morbo costali quem πλευρῖτιδα Græci dicunt. At si numero testimoniorum agendum sit, non adeò facile superabunt neoterici ac nouitij practicantes medici, cum mihi tres, Hippocrates, Galenus & Oribasius suffragium ferant, alij & inter se & Galeno & Oribasio repugnant. Græci semper ex brachio affecti lateris detrahunt. Abynzoar semper ex aduersi. Rasis in Almansore: Vbi corpus, inquit, ualde plenum est, ex aduersi lateris brachio, aliâs affecti. Sed in libro Diuisionum aliter sentit, & sibi repugnat Isaac Israëlita in principio, inquiens: Si materia quiescat, oportet sanguinem trahere ex parte affecta: si uero non quiescat, & dolor ad furculas salierit, ex opposito latere. Auicenna sine determinatione, primũ ex crure è directo, deinde ex brachio aduersi lateris bis, prius ex basilica, deinde ex media uel nigra, & post aliquot dies ex affecti lateris brachio: tandem lateri cucurbitas D adhibet. Mesues, ut aliquid adderet, distinguit de principio siue de fluẽte materia & fluxa. Ergo cum Latini tria suffragia certa habeant & conuenientia: Arabes, Pœni, Israëlitæ, inter se digladiantur omnes, ergo testium fide & dignitate uincũt Latini, barbari uero numero solum. Quod autem ad testimoniorũ fidem attinet, dico me non eò insaniæ deductum esse, ut nõ paucorum cõmuni hominum saluti præferenda putem: præterea in scriptorũ controuersia imitandos esse non plures, sed meliores: Hippocratem, Galenum & Oribasium, primos summosque fuisse: ponderanda esse uota, non numeranda: hos fuisse inuentores, Arabes & Pœnos aggregatores, Neoterici uero Arabum ac Pœnorum imitatores, quales fuere Gentilis Fulginas, Nicolus Florãtinus, Matthæus Gradeus: Arculanus, alij'ue practicãtes, puta Guainerius, Platearius, Montagnana, Bertrutius, Gatinarius, Pãthaleon, Vercellensis, Gordonius, Iacobus de Partibus, Ioannes à sancto Amando, Guido à Caliacio, Gerardus à Solio.

Opiniones uariæ & contrariæ autorum recentium ac neotericorum, de missione sanguinis in pleuritide.



GRAVARER ego plura huiusmodi errata, ex eodẽ fonte manãtia, unũ in locum cõgerere (Satis enim ex his quæ diximus, poterat diligentius lectori monitus uideri, ut reliqua per se prospiceret) nisi recentiores ac neoterici medici mortis pericula inducerent, Arabum ac Pœnorũ uestigia sequentes. Ne igitur alijs qui id laboris suscipere fortassis recusabũt, in medio relinquatur, pauca ex neotericorum opinionibus ac placitis subnectam.

Gentilis Fulginatis de missione sanguinis in pleuritide, OPINIO PRIMA.

NEC

A NEC inepte aliquis quæsierit, quid sit quod Fulginas Gentilis Arabum alter Achilles dicat de sanguinis detractione in pleuritide. Ipse enim suis in Commentarijs in Auicennam, capite de pleuritide ait: Per diuersionem humores diuertuntur ad longinquum, & faciliter ad inferiora, quia trahere sanguinem inferius, leuius est quàm superius, cum de se sit grauius: uerbi gratia: Si pleuritis inchoat à dextro, fiat phlebotomia de saphena pedis dextri. Sed contrà inquit: Quia Mesue præcipit phlebotomiam de saphena lateris oppositi: respondetur quod pleuresis uel est in principio principiante, & tunc competit phlebotomia de latere opposito, nempe de saphena lateris oppositi, ut dicit Mesue: quia ipsa magis diuertit, & tunc est intentio diuersionis: Vel non est in principio principiante, & tunc de saphena eiusdem lateris, ut aliquid euacuetur. Aliter dicendũ credo, quod uel in partibus inferioribus, & toto corpore est multa repletio, in uia ascensus superius, & tunc debet phlebotomari saphena lateris oppositi. Ratio, quia phlebotomia saphenæ eiusdem partis cum hoc quod diuertit, agit multam materiã in corpore sic pleno, & facit eam declinare uersus easdem partes: ex quo potest esse suspicio, ne moueatur ad locũ pleuritidis affectio. Sed si de latere opposito fiat phlebotomia, non accidit hic timor. Sed tu dices, hoc est contra Canonem generalem: Caue ne in duas diametros diuersiones facias. Dicendum quod materiæ actu fluentis nõ potest esse diuersio in duas diametros, sed materia de qua potest suspicari, q̃d fluat, & potest diuerti in duas diametros, respectu partis in qua est ægritudo, sed non sit omnino in duas diametros, respectu loci materierum, de quibus suspicamur quod possent fluere. Si autem non sit repletio tanta, tunc de saphena eiusdem partis possumus phlebotomiam facere: & post ipsam de nigra. Hæc Gentilis. Vide lector
B amantissime opinionem Fulginatis incertam ac dubiam. Aliquãdo uno in loco uoluit in principio pleuritidis fieri debere phlebotomiam ex parte affecta, nonnunquam ex opposita. Non refero multa quæ Gentilis scribit, quia partim superius improbata à nobis sunt, partim arbitraria, & fabulæ mihi uidentur: Nam etiam si Galenus id diceret, ridiculus haberetur iudicio multorum.

Platearij Sardonitani de sectione uenæ in pleuritide, OPINIO SECVNDA.

SVBTEXAM nunc ex lepidissimi Ioannis Platearij practica, quam paucissima, quæ nec ipsa, ut aperte dicam, magni admodum momenti sunt. Ipse enim capite de pleuritide ait: Ab ipso itaq; principio, uiribus & ætate permittẽtibus, fiat minutio de uena cordis: ut si apostema sit in dextra parte, de sinistro minuatur: si uero in sinistra, de dextro sanguis detrahatur brachio: si autem in utraq;, de utroq;: & fiat minutio de uena cordis: & potest fieri usque ad finem quartę diei, & etiam in principio quintę, si uirtus fuerit fortis. Hæc Platearius somniando potius, quàm uigilando scripsit.

Bertrutij Bononiensis, OPINIO TERTIA.

ILLVD si uacat, æquiore suspendant lance, Bertrutij Bononiensis doctrinæ studiosi, uerãne sit omnino lectio illius de pleuritide, quũ ait: Si pleuresis sit in principio, & corpus sit plethoricum, fiat primo phlebotomia saphenę pedis eiusdẽ lateris, propter diuersionem materiæ. Postea fiat phlebotomia basilicæ brachij oppositi lateris. Et est inconueniens ut phlebotometur saphena uel basilica pedis oppositi lateris, quia diuersio non potest fieri per duas diametros, ut uult Auicẽna. Postea tertio & ultimo fiat ex basilica brachij lateris eiusdem, propter eradicationem: in qua tantum sanguinis extrahatur, donec in alium

C colorem, scilicet nigrum, uel magis intensè permutetur, quod significat eradicationem pertigisse usq; ad minorationem causæ coniunctæ. Obseruetur uirtus, ætas, ne simul cum causa morbi extrahat̃ uirtus. Hæc est noua atq; inaudita Bertrutij doctrina. Sed nõ est huius temporis aut loci omnia recentium autorum errata corrigere. Ad aliorum errata festinat oratio.

Gerardi Bututi Parrhisiensis, OPINIO IIII



ERHVMANE, ut solet, à me quæsiuit Ioannes Canapęus Parrhisiensis, nostrarum literarũ studiosus, nec à Musis, ut dicitur, & Gratijs alienus, quid esset quod Gerardus Bututus gentilis suus, Constantini Cassinensis monachi interpres grauissimus, eo in lib. qui Viaticus inscribit̃, à sententia Constantini recesserit. Constantinus eo in libro, capite De pleuritide, secandam esse uenã ex ęquo affirmat. Gerardus ũero sic ait: Phlebotomia si fieri debeat, fiat in principio ex parte lateri opposita, ubi est apostema, in secundo uel tertio antè quàm confirmatũ est apostema. Sic enim dispergitur materia apostematis. Sed apostemate confirmato, fiat ex eadem parte: quia tunc oportet materiam ab eodem loco extrahi. Hæc Gerardus Bututus. Sed neque temere me illi accedere identidem præfatus. Hippocratis & Galeni, ac ipsius Constantini, cuius Gerardus expositor est, testimonium celebrabam, quorum hic autoritas est maxima.

Antonij Guainerij Ticinensis doctoris, OPINIO V



N nullam Apollineæ artis partem licentiosius grassata est Guainerij inscitia, quàm in eam quæ de sanguinis missione in pleuritide scribit. At sic
D habet ipse conditionibus annotatis: Et dolore uersus furculam & thoracem, & quod est super ea tendente, necessaria erit phlebotomia: diuersimode tamen, secũdum scilicet apostematis & sputi uariam dispositionem: antequã apostema fuerit completũ, fluente adhuc materia, & antequam sputum fluere incipiat, ex saphena lateris oppositi faciẽda erit phlebotomia, uel eiusdem partis, ut placuit Auicennæ. Ventris tamẽ ubi opus fuerit præmissa lenitione, dehinc ex basilica oppositi lateris. Hæc Guainerius somniauit. Sed nõ est huius tẽporis aut loci omnia doctrinæ Arrabum errata corrigere, cum animo sedeat magis nostra tradendo disserere, quàm aliorum aperiendis erroribus inseruire.

Ioannis Arculani Veronensis, de sectione uenæ in pleuritide, OPINIO SEXTA.



AETERVM nunc discutiamus, an debeat incidi in principio saphena pedis, an uero basilica brachij. In hoc enim causæ cardinem uersari pleriq; forsitan non immeritò putabunt. Herculanus uero inter iuniores medicos autor celebris, ac in Arabũ doctrina singularis, in Cõmentarijs suis ad Almansorẽ ita scribit: Quæreret forsitan aliquis, ex qua parte apud recentiores medicos phlebotomia celebretur: & inter illos est alteratio plurima, cum quidam solummodo ex saphenis, quidam ex basilica dicant in principio esse phlebotomandũ, & omnes suis rationibus se tuentur, ac experientijs non uulgaribus, quorum rationes omitto. Sed pro parte mea, inquit, hanc uiam sequar, quam nunc subscribam. Solum in quatuor casibus uidetur esse facienda phlebotomia de saphenis. Primus, quando corpus esset repletum, & materia peccans multa. Secundus, quando materia est uenenosa, aut attinẽs uenenositati, corrupta aut putrida. Tertius, quando timemus raptum ipsius ad membra superiora nobilia. Quartus, quando esset retentio alicuius euacuationis consuetæ, in membris inferioribus, puta menstruorum,

Quatuor ex casibus incidenda saphena est.

A rum, aut hæmorrhoidarum, laqueatio uenarum. In cæteris casibus omittenda est. Exceptis ergo istis quatuor casibus, nõ est faciẽda phlebotomia ex saphenis: & debet fieri ex saphena eiusdem partis quæ affecta est, nisi esset in repletione modũ excedente: quia tunc, ut uult Mesue, fieri debet ex opposita. In cæteris aũt casibus notabili existente repletione, debemus incipere à phlebotomia basilicę oppositæ, communiter usque ad treis dies inclusiue. Sed in prima & secunda die, melius est ex manu: In tertia ex brachio. Deinde, si expedit, ex basilica eiusdem lateris. Aliqui tamen sunt casus, in quibus non competit phlebotomia, ut in pleuritide ex cholera pura, distante multum à natura sanguinis, & corpore existente multũ cholerico: In quibus timere debemus sanguinem euacuare, quoniam euacuato sanguine solet bilis furere. Hęc ille. Hactenus aperte loquit̃ Arculanus de purgatione quæ fit per phlebotomiam, sed dubie inter inflammationum initia, ubi retrahendum atq; euacuandum simul sanguinem aliquando esse affirmat, & quãdoq; negat: Et aliquando de saphena eiusdem lateris sanguinem primũ detrahere. Et certe mihi rem altius mecum repetenti, sæpe uerisimile uisum fuit, has fuisse causas erroris Auicẽnæ profitentis se Galeni interpretem, quod de retractione tanquam de una specie loquendum putaret, neq; diuersarum specierum diuersas uires perpenderet.

De sanguinis missione in morbo costali ex Marco Gatinario collega nostro, OPINIO SEPTIMA.

EST in plerisq; rerum scriptoribus quædã obseruare, quæ inter se omnino sint contraria, maximeq; repugnare uideantur, quale est illud collegæ nostri Marci Gatinarij de sectione uenæ in pleuritide: ita enim scri-
B bit: Intentio per quam prohibemus augmentum apostematis in pleuritide, est diuersio: & in hoc magna pars iure consistit, trahendo materiam ad partem oppositam: & in hac intentione laudat Rasis phlebotomiã, & Auicenna, dicẽs: Ex rebus curationis est, ut fiat phlebotomia ex latere opposito, & ex saphena opposita in longitudine, deinde ex basilica, postea ex nigra: de quo tamen latere fieri debeat, dubitat Gentilis. Vide eum. Hæc ille. Galenus autem libro De phlebotomia contra hanc opinionem ait: Adeò uero euidentem utilitatem, & interdũ etiam repentinam affert uenæ sectio è directo affectarum partium facta, ut & ægrotantes ipsi, & eorum necessarij plerunque stupidi maneant.

Barptolomæi Montagnanæ de missione sanguinis in pleuritide, OPINIO OCTAVA.

NVNC LOCVM attende, quo docetur, per quæ loca sanguis mitti debeat in pleuritide: quanquam nefas propemodũ duxerim, quicquam in his mutare, in quibus Barptolomæus de Montagnana, uir inter neotericos ac iuniores medicos doctissimus, sit magna industria maiore cũ laude uersatus. Quia tamen nemo, ut arbitror, repertus est, cui constiterit hæc scribendi ratio inoffensa, non mirum si unum aliquod prætererit omnia tractans. Quanquam non sum tam arrogans, ut quod dixero, uelim pro oraculo haberi, tanquam non aliud uerius esse possit. Est in nonagesimoquinto Consilio apud Montagnianum de pleuritide ita: Primum itaque curationis ingenium est, ut uentre leni to & constante uirtute statim fiat phlebotomia de uena Saluatella partis patientis, & extrahantur unciæ quatuor aut quinque sanguinis. Si autem post primam phlebotomiam adhuc apparent signa magnæ repletionis, melius est phlebotomare uenam partis contrariæ parti affectæ. Hactenus Montagnana. Hæc omnia uidentur uera, & cum Galeno consentiunt, præterquam quod dicit ex Saluatella: ubi Ga-

C lenus: Ex uiciniorıbus & cōmunioribus patiēti particulæ uenis fit euacuatio & optima & facilis. Ex multis locis hæc pauca sufficiant ad ostendendum, neq; semper exigi maximam distantiam, ut sit reuulsio: neq; semper eam esse optimam quæ fit per loca longius distantia, cū fieri possit per propiora. Sanguinē enim de naribus fluentem non retrahes in crure fixa cucurbitula, sed ex hepate aut liene è directo: neque secta pedis uena aut brachij diuersi lateris, sed è directo.

De sectione uenæ in pleuritide ex Gordonio Gallo. OPINIO NONA.



APVD Bernardum à Gordonio Gallum, capite De pleuritide, in peruulgatis impressisq; codicibus hæc uerba leguntur: In pleuresi corpore pleno & uirtute forti, fiat phlebotomia secundum Auicennam de saphena eiusdem lateris: deinde si adest plenitudo, de basilica opposita: aut si uellet facere de saphena, fiat in principio oppositi lateris: dinde de basilica eiusdē. Et est intelligendum, secundum doctrinam Galeni, supra illam partem quando dolor ad spatulas salierit, &c. Ab hepate procedit quædam uena, & protrahitur usq; ad cor: deinde truncus ascendit rectus uidelicet ad duas guydeni. Sed postquam procedit à corde quidam ramus à trūco recto uersus dextrum & sinistrum, & utrinq; uenam constituit basilicā in curuatura brachij: Istæ autem basilicæ duæ æqualiter hauriunt ex puteo, & ideo æquale esset, de quacunq; parte fieret phlebotomia, quia æqualis est distātia. Sed aliud est, quoniam uenæ capillares, quæ nutriunt costas superiores, habent colligantiam cum uenis capillaribus, quæ procedunt à basilica: & ita si fieret phlebotomia in principio corpore existente pleno de eodem latere, fieret tractus ad locum per uenas capillares, & ita faceret ad augmentum. Et si in ægritudine confir-
D mata & corpore non pleno fieret de parte opposita, tunc fieret tractio materię corruptæ ad mēbra nobilia. Restat ergo quod in principio corpore plethorico existente, debet fieri phlebotomia de basilica oppositi lateris, aut de saphena eiusdē partis, & postea fiat de eadē parte: & ut dicit Galenus, si non inueniat̄ basilica, fiat de mediana: si non inueniatur mediana, fiat phlebotomia de cephalica. Hæc Gordonius. Hæc excogitata subtiliter, sed ad sensum Galeni forte uiolenta. Hic enim Gordonius, ut Auicenna, Rasis, cæteriq; Arabes, uidetur habere ut lucem patiatur & tenebras, & lucida & opaca ueritatum interualla, puraq; interdum & nonnūquam
Gordonius. impura. Gordonius uir fuit nobilis, subtilis, ingeniosus, eruditissimus, qui primus apud Montispedenses & Gallos hunc nodum ingeniose, etsi nō uerè, cum suo Auicenna enodauit, qui apud Montem Pessulanum Arabum, & utinam Græcorum, medicinam professus est, explosis triuialibus nugatorijsq; sophistarum præstigijs, quæ melius est non didicisse. Igitur & ingenio quammaximo & doctrina non mediocri præditus, & in rebus dijudicandis dubijs certissimus, atque prudentissimus, etsi sermone barbaro ob temporum iniuriam excellat, ita opinionem Auicēnæ de pleuritide enarrare solebat, ut diceret, id significari ab Auicenna, quod scribit Galenus de sanguinis detractione, quod uidelicet in principio hęc ex longinquo, postea ab ipsis exhulceratis partibus sit emolienda. Sed nunquid mi Bernarde, è longinquo dicit Galenus, non autem longissime? Sicuti cum de purgatione ageret. Nam ex Galeno colligitur, in pleuritide corpus impurū in principio non esse purgandū, neq; per ipsam phlebotomiā, ut sputationes promouendo: neq; per partem ualde uicinam, ut factis extrinsecus in lateris patientis cute scarificationibus, adhibitisq; cucurbitulis: neq; idcirco in malleolo secanda est uena. Horum & aliorum una est ratio, quod quamuis aliquid de corpore euacuent, tamen uel nullatenus uel minus retrahāt, quæ Galenus decimotertio Methodi exponit. Et de arte curatiua ad Glauconem

A conem præcipit, rationem subiungens, cur huiusmodi uenæ incidantur. Hę enim, inquit, uiciniores magisq; è directo sunt patientibus membris: quod parum opinioni Gordonij congruit.

Consiliatoris Petri Aponensis de sectione uenæ in costali morbo, OPINIO DECIMA.

PETRVS Aponensis, inter Italos uir in medica arte eruditissimus, & in philosophia, mathesi'que ac metaphysica peritissimus, ingenio subtili & acri eloquio, uitæ apud suos philosophicæ conspicuus, id propterea appellationem Consiliatoris præclarā nactus est, multa posteris ingenij sui monumenta non pœnitenda reliquit. Ex his autem unum apud me habeo, cui titulus Consiliator præfixus, opus sententijs refertissimum. Quare operæprecium aliquando nobis uisum est, annotationes ac cribrationes in Petrum Aponensem recentioribus medicis proferre. Nūc autem nobis uidetur hic subscribere ipsius Cōsiliatoris uerba, quæ differētia CIX. CI. sui libri legunt de missione sanguinis in pleuritide. Phlebotomia, inquit, ferè semper est pręmittēda dum uirtus patiatur & ætas: plus tamen aut minus secūdum quod indicationes demonstrant: quæ siquidem ex latere opposito apostematis est facienda, si corpus fuerit plethoricum, & materia in fluxu. Si uero non, ex eadem asserunt parte. Quod si fuerit in panniculo pectus distinguente, utrinque uel indifferenter phlebotomandum, uel magis ex dextra. At quia pleruncq; medici uocantur materia collecta, non parum ex eadem euacuant parte. Quando enim materia fluit, licet per oppositum euacuari, & præcipue quando uolueris deriuare. Hoc nanque longinquiorem expedit diuersitatem. Quan-
B do autem materia fuerit infusa, phlebotomia facta ex parte opposita, impotentior est, quàm ut aliquid euacuare possit de materia apostematis: sed naturam debilitans prohibet digestionem: quod similiter in peripneumonia intelligendum. Considerandum etiam, quod si pleuresis fuerit in parte superiore pectoris, phlebotomanda est plus mediana. Si uero in inferiori, basilica: cum illa euacuet quod superius magis: huiusmodi autem quod inferius amplius. Neque enim fit tractus super principale, cum in opposito partis pleuresis fiat phlebotomia: quia uenæ quæ ad musculos deueniunt pectoris, in ramos diffundūtur à uena grandi à corde ascendente circa clauum colli. Et necq; si per cor transiret, cum talis materia nondum sit corrupta, esset adeò grande nocumentum, ut iuuamentum, quod inde sequitur. Hactenus Cōsiliator. Hæc Petri Aponensis differentia est plena eruditionis & indiga interpretationis: in cuius enarratione Aponensis eruditis auribus non satisfacit, & in eo potissimum loco, ubi asserit aliquando debere phlebotomari ex mediana, nonnuncq; ex eadem parte, aliquando uero ex opposita.

De uena incidenda in pleuritide, ex secta Arabum.

A GALENI tempore cōplures lingua externa scripserūt: Vnde quidem barbarorum feritas Italiam, Galliam ac Hispaniam inuasit. Hinc Arabum & Pœnorū, aliorumcq; autorum uolumina, in tanta rerum inopia recepta sunt, ut satis admirari nequeam, quod cum Arabicarū literarū mediocrem haudquacq; scientiam, grecarum uero propè nullam habuerint, uocabulis non latinis, modo non inepte dicant aut inerudite, sed à uero prorsus uerisimilicq; abhorrentes interpretationes, etymologias, compositiones, deriuationes, cōtra receptas approbatissimorum tam Græcorum quàm Latinorū autoritates, inuertere ausi sunt. Cuias est Girardus Cremonensis, à quo maxima ex parte Gentilis Fulginas, Bertrutius, Herculanus, Matthæus de Gradi, suos errores acceperunt, Nico

C cat: Internam brachij uenam secare oportet, ab eo uidelicet latere, quod dolore fuerit affectum. Galenus hoc cōmentario significat, quod in pleuritide oportet incidere uenam ab eo latere, quod dolore fuerit affectum. Ergo neq; Auicenna neq; Rasis, si non ita sentiant, effugere possunt: sed neq; Isaac, neq; Gentilis cum suis collegis, si uelint suppetias ferre. Huius erroris causam eò refero, quod hic quartus liber non habeatur apud Arabes, ut ab eius linguæ peritis audio: neq; refert siue dixeris ab eo latere, siue ad eas partes.


Ex Oribasio & Constantino Africano, Conclusio ultima.

NEc omnino inepte aliquis quæsierit, quid sit q̄d Oribasius Sardianus, & Constantinus monachus dicāt de missione sanguinis in pleuritide in principio. In ipso fermè Oribasij uestibulo ad Eustathiū filium obijcitur locus animaduersione dignus, cum ait: Pleuriticis autem ex ipsa parte quæ dolet, sanguis est auferendus. Ad oculorū uero dolores iuuat magnifice, si ex ipsa parte quæ plus dolet, de brachio capitalis incidatur uena. Hæc ille. Est & alius locus animaduersione etiā dignus apud Constantinū lib. tertio Viatici. Si uideamus, inquit, quod apostema diaphragmatis sit sanguineū, festinemus ut de basilica uena minuamus, de latere ubi infirmus patitur, anteq; augeat̄ dolor: quod in periconoxeon pręcipit Hippocrates. Hanc Constantini sententiā sequutus est Montagnana in suis Consilijs, ut superius dictū fuit. Hippocrates ergo & cum illo Galenus, Oribasius, Constantinus, & ex recentioribus Mōtagnana, & ultimo Curtius collega noster, & Brissotus Parrhisiēsis, in pleuritide dextræ partis, internā cubiti dextri uenam secant, bis eodem die, si æger patitur, qua nocentissimū corporis humorem, qui defluxionis causa erat, educunt. Sed à phlegmone reuellendo ualide ac celeriter simulq; totū corpus euacuāt: plus tamē D à partibus phlegmone uicinis: Tum crurum ac sinistri brachij uinculis, & frictionibus, quandoq; alijs, ut cucurbitis, scarificationibus, aut uenæ sectione, humorē mollem conuertunt ad distantissima, tractibus caloris dolorisq; obsistentes. Potuerunt Auicennæ, Rasis, Isaac, interpretes in uertendo hallucinari. Potuerunt & Arabes errasse, homines enim fuerūt. Nunc satis sit Hippocratem, Galenum, & Oribasiū, Constantinū, Isaac, nec ita scripsisse, neq; intellexisse, ut sentiūt neoterici practicātes Auicennam, Rasim, Isaac, alios ue Arabes sensisse. Quod aūt recentiores medici dicunt, Galenū præcipere secandam esse uenam brachij, qua educatur sanguis in aduersum quàm defluat: id uerū est, secta uena brachij interna affecti lateris: sed ipsa Galeni, seipsum exponentis enarratione, id fieri antea ostendi: non autē ex aduersi lateris brachio: neq; colligi potest ex Arabum traductione: Manifestū enim est his uerbis nō aliud significari, quàm retractionem, siue quod euacuatio fiat à phlegmone, retrahēdo humorem per eam uiam per quam defluxerat, hoc est per costarum uenam ad cauam usq;, neq; tam partium quàm motuum contrarietas significatur. *Attamen termini horum motuum contrariorū quodammodo contrarij dicuntur,* scilicet pleuritidis locus & uena caua quamuis nō extrema. Opponitur enim & ex*tremum extremo, & medio. Alia multa citat Brissotus Parrhisiensis,* quæ ob epitomes angustiam relinquamus. Illa enim, si per ocium licet, ipse uidere poteris.

SYMPHORIANI CAMPEGII APOLOGETICAE DISCEPTATIONIS DE PHLEBOTOMIA FINIS.

BASILEAE APVD AND. CRATANDRVM, ET IO. BEBELIVM, MENSE AVGVSTO, ANNO M. D. XXXII


PALMA BEB.




H 10138